Num aliquod detur
IVRIS NATVRALIS
MATRIMONIVM,

Et quod, & quale: & an inter Chriſti fideles
vllum aliud, quam Sacramentale
detur, dariuè poſſit

Quæſtio tertia:

PER DOMINICVM TVSCVM
REGIENSEM CIVEM

In hunc, qui ſequitur, diſpoſita modum, cenſureq; Sacroſanctæ
Matris Eccleſiæ humillimè ſubiecta, eius vt illuſtrata
lumine ſanctiſſimæ conſecretur veritati ad
Dei Trini vnius gloriam Amen.

Bononiæ, Typis Iacobi Montij. 1664. Superior. permiſſu.

CVM an aliquod naturalis detur iuris Matrimonium, sit à nobis indagandum, idq; naturalis dicatur esse iuris, à naturali quod descendit iure: ante omnia se nobis declarandum offert quotuplex, quid, & quale sit huiusmodi ius, quatenus tamen ad præsentis potest discursus pertinere tractationem; verum ne ob vocabuli huius ambiguitatem, quæ dicenda sunt, vel obscura, vel incerta relinquantur, quot prius modis hoc iuris vocabulum accipiatur enumeremus oportet.

Ius ergo multis accipitur modis, & primo, & principaliter pro omni iussione ab vno, vel pluribus superioribus paris auctoritatis, & imperij ab eo, ijsue vicem habentibus in sibi subiectos statuta, & determinata, vt ab ijs in posterũ pro lege seruetur, quæ à iussu per apocopen ius nuncupatur *l.2 §.hæc disputatio ff. de orig. iur. l.ius ciuile in principio & §. hoc igitur ff. de iust. & iur. l.p. §. perinde ff. de var. & extraord.cog. & Inst. de iu. nat. gen. & ciu. per totum & signanter §.constat autẽ & seq. §§. vsq; ad fin. tituli, & de vsucap. in princip.* Ad quorum differentiam ex his alterum dicitur honorarium *l. Ius pluribus modis vers. nec minus rectè ff. de iust. & iu.*

Secundò accipitur pro facultate ab huiusmodi resultante iussione ad alicuius siue Imperij, Regni, Prouinciæ, Ciuitatis, vici, Vniuersitatis, siue priuatæ personæ, alteriusue cuiuscumq; rei iurisue fauorem in alterum eorumdem, vel aliorum generum, quæ facultas ius dicitur ei, vel eis competens, & debitum, ad cuius, vel quorum fauorem per huiusmodi fuit introductum iussionem *§. incorporales cum duobus seq. §§. Inst. de reb. corpor. & incorpor.*

Quod ius ijs, quibus ab huiusmodi intentionaliter est cõcessum iussionibus ab ipsius virtute effectualiter adiudicatur iustitiæ: propterea *iustitia dicitur esse constans, & perpetua voluntas ius suum vnicuiq; tribuens Inst. de iust. & iur. in prin.* Iustitia enim vult, quod ea iura, quæ ab huiusmodi sunt concessa iussionibus, ijs, ad quorum sunt concessa fauorem, cum effectu integra, & illibata reddantur, quoniam agens omne agit propter finem. Facultates au-

tem huiusmodi, seu iura sic competentia varia sortiuntur nomina ab ipsis rerum, vel factorum qualitatibus, circa quæ versantur, verbi gratia facultas aliena vtendi, & fruendi re ius est, quod ab vsufruitione vsufructus dicitur: facultas eundi per fundum alienũ, ius est, quod iter dicitur, & sic de similibus iurium generibus.

Tertiò accipitur pro passiua affectione cuiuscumq; ex supraenumeratis exaduerso respondente actiuis facultatibus in illa illisue impressa persona, vel personis, rebus, iuribus, aduersus quas, vel quę præfatæ sic, vt supra, actiuæ cõpetunt facultates, qua velut catena erga eos, quibus præfatæ competunt actiuæ, deuicti, & ligati deuicta, & ligata remanent, quæ & obligatio dicitur *Instit. de oblig.*

Quartò accipitur pro methodo, & forma à præfatarum iussionum ordinatione introducta id prosequendi in iudicio, quod sibi debetur, quæ actio dicitur *Inst. de act.*

Quintò accipitur pro legitima accersione aduersarij ad iudicem, coram quo, vel ad locum, in quo accersens sua prætendit esse ventilanda iura, ad quem qui accersitur, in ius vocari dicitur *§. fin. Inst. de pœna tem. litig.*

Sextò accipitur pro omni legali bono à dictis iussionibus introducto, quia sicut id omne, quod ab ijs introductum est, semper est bonum, sic omne ab ijs introductum bonnm ius est, quoniam mutuam inter se se conuersionem habent *l. ius ff. de iust. & iu. c. ius naturale §. nam hac dist. p.*

Septimò accipitur pro naturali notione boni conducentis, maliq; nocentis à Deo in internis animantium inserta principijs, qua omne animal ad dicta appetenda, hauriendaq; bona, malaq; repellenda suaptè natura fertur, idest, quod omnia animalia natura docuit *Institutionibus de iu. nat. gen. & ciuil. in princip.*

Octauò tandem pro ipsa accipitur sanguinis necessitudine, seu coniunctione *l. non vnquam ff. de iust. & iur.*

Explicita vocabuli iuris significatione, naturale quid sit ius modo videamus oportet, & secundum sacræ scripturæ auctoritatem ius naturale lex est illa, quam Deus ab exordio creationis omnibus, & singulis imposuit creatarum rerum speciebus *Ier. c. 5. n. 22. c. 31. n. 35. & 36. c. 33. n. 20. & 25. Iob c. 26. n. 7. 8 & 10. c. 38. à n. 8. ferè per totum illud cap. Prou. c. 8. n. 29. Ecclesi. c. p. n. 5. 6. 7. 9. 10. & 11. c. 3. à n. p. ad 10. & can. p. dist. p. & §. furtum Inst. de oblig. quæ ex delic. nascuntur, & ibi glo. in verbo lege naturali.*

Nam

Nam, ficut in ipſo creationis actu vnicuiq; creatarũ rerũ ſpeciei propriam Deus indidit naturam, qua ab inuicem diſtinguuntur, ac re ipſa dirimuntur, vnicuiq; ſic earum proprium aſſignauit naturę bonum, ab alijs ſpecierum, ſeu naturarum bonis diſtinctum, & diremptum, ad quod appetendum, & proſequendum ſingulis ſub ſpecie illa cõtentis indiuiduis propriũ quoq; inſtinctum, & notionem naturę, vt illorum medio, ductuq; ipſorum vnumquodq; in ipſa viueret, & conſeruaretur natura, eiuſq; propagatione conſeruaretur ſpecies, quod bonum, boniq; notio, proſecutio, & hauſtus ius dicitur naturæ, ſpeciei illius, de qua tractatur; ac tractari dicitur.

Iure conſulti autem cum non de ſingularum creatarum rerum, ſed de ſenſibilium duntaxat naturali iure verba facturi eſſent rectè propterea illud eſſe dixerunt: *Quod omnia animalia natura docuit Inſtit. de iure nat. gen. & ciu. in prin.* quod de illo tamen intelligẽdum videtur, quod propriæ cuiuſq; illorum ſpeciei competere poteſt, vt ex infradicendis manifeſtius apparebit, ius igitur iſtud triplex eſſe dici poteſt vniuerſale, generale, & ſpeciale, ſeu vniuerſorum generum, ſingulorum generum, & ſingularum ſpecierum.

Vniuerſorum ergo eſt quidquid vniuerſis creatarum rerum generibus, & conſequentur creaturis omnibus in vniuerſum naturaliter debetur, ac competit ex ipſius creantis Dei beneplacita ordinatione ab exordio creatæ naturæ ſtatuta, & determinata, in vniuerſaq; diffuſa natura, exempli gratia: cum Deus ab exordio naturæ, vt eſſent, creauerit omnia *Sap. c. p. n.* 14. propter hoc in ipſo ſtatu, eſſe, & conſeruari naturæ, iuris dicitur naturalis, quod vniuerſis competit creaturis: ſingulorum generum eſt quidquid ſpeciebus omnibus ſub eodem genere æquè contentis ſecundum ſui naturam generis vniuerſaliter debetur, & competit ex ipſius creantis Dei beneplacita ordinatione ab exordio creatæ naturæ ſtatuta, & determinata, ac illi in vniuerſum communicata generi, exempli gratia: edere, & nutriri eſt omnibus generaliter commune ſpeciebus ſub ſenſitiuorum genere contentis: propterea cum ab initio omnes Deus congregauerit aquas, quæ ſub cœlo ſunt, in locum vnum, ne exinde in oppreſſionem effluerent animantium, ſed ex ijs erumperent fontes in montibus, & conuallibus, & inter medios tranſirent montes, herbaſq; virentes fecerit, vt germinarent, arboreſq; iuxta earum ſpecies producerent fructus, *Gen. c. p. n.* 11. & 12. *Iob c.* 38. *n.* 8. 10. & 11. *Pſal.* 103. *n.* 9.

10. 11. 12. & 13. horum propterea omnium vſus, & vtilitas generalis huius dicitur eſſe iuris omnibus ſpeciebus ſub vno, & eodem hoc ſenſitiuorum genere æquè contentis debiti, & competentis *Gen. d. c. p. n.29. 30. c. 6. n. 21.* Speciale eſt quidquid cuicumque particulari ſpeciei ſingulariter, ac priuatiuè ab alijs ſpeciebus ſub eodem genere æque contentis naturaliter debetur, ac competit ex ipſius creantis Dei beneplacita ordinatione ab exordio creatæ naturæ ſtatuta, & determinata, ac in internis indiuiduorum ſpeciei illius ingenita principijs, viuentibus quaſi inſculpta, & impreſſa literis, vt ea ſunt omnia, quæ cuique à priuatæ contingunt quiditate, & qualitate formæ, inter quæ ſingulariſſima quædam etiam enumerantur: exempli gratia: ſpeciei ſtruthionum priuatiuè ab alijs auium ſpeciebus competit oriri ex ouo non ſolum non matris calore foto, ſed ab ea, eius quaſi non ſit, penitus derelicto, voratumque, vt fama eſt, conquoquere ferrum, & ſpeciei vrſorum figuram ſumere corporis non ab vteri virtute, ſed à materno lambitu, & ad 14. vſq; diem tam graui premi ſomno, vt ab eo nec vulneribus excitari queant. *Iob c.39 n.14.15.16. Plin. nat. hiſt. lib.8. n. 36.* quæ proprietates appellantur.

Creatarum verò harum rerum inferiorum quædam cum ſint, quæ eſſe ſolum habent, motu verò, & vita carent, vt lapides: quædam verò ſint, vtrumq; quæ habent, ab eo, quod in ijs excellentius eſt, viuentia appellata, priorum quarum tamquam ad rem non pertinentium poſthabito ſermone dicimus: quod ius naturale viuentium (ſumendo tamen hoc verbũ ius ſecundum ſeptimam acceptionem, non quod in his terminis huius ſit proprior ſignificatio vocis, ſed quia ijs, quæ ab alijs in hac materia traduntur, eſt accomodatior) boni eſt conducentis maliq; nocentis naturæ notio, cuiq; viuentium gradui à Deo inſerta, ac in eorum internis ingenita eſſendi principijs, in cuius vi bona huiuſmodi ſiuè odorata, ſiuè ſenſita, vel agnita ſibi tamquam iure debita naturæ ex creantis Dei beneplacita ordinatione ab exordio creatæ naturæ ſtatuta, & determinata hauriuntur, & mala tamquam inimica dimittuntur, ſeu repelluntur *Iob c.14. n.7. 8. 9.*

Viuentium autem cum triplex ſit gradus, eis ſic naturale competens ius ſit triplex, conſequens eſt: vegetantium videlicet, ſenſitiuorum, & rationalium, ſeu hominum: vegetantiũ ius (ad hanc licet materiam minimè pertineat) dici poteſt, quod ſit appetendi

boni

boni communi formæ conuenientis, & conducentis vis, seu naturę notio à Deo in vegetantium ingenita principijs, qua illud tamquam sibi debitum appetunt, appetentes hauriunt; vel tamquam naturæ à se persoluendum tributum operantes reddunt; idest; quod omnia vegetantia natura docuit: sensitiuorum verò: boni est communi formæ conuenientis, & conducentis, maliq; nocentis sensibilis notio, qua sensitiuum animal illud velut sibi, & à se naturaliter debitum, haurit, vel reddit: istud abhorret, & reijcit, iuxtà huiusmodi notionem congruenter operando, quod videlicet, omnia animantia natura docuit *l.p. ff. de iust. & iu.* Quod ius omnium est animantium, quæ in aere, terra, mariq; nascuntur commune, ideo illa omnia huius dicuntur iuris peritia censeri, naturalem, videlicet, habere notionem, quoniam omnia ad ea, istius quæ sunt iuris, natura duce feruntur. *Inst. de iu. nat. gen. & ciu. in princip.* & hoc nostræ etiam dicitur competere animalitati: nobis verò quatenus spiritu intellectiuo constitutis nequaquã. Nam, tòto quæ æquè sensitiuorum generi vniuersaliter natura competunt, non æquè vniuersaliter omnibus sub illo genere contentis speciebus natura competunt, alias plurima, & maxima in natura sequerentur absurda, quorum vnum hoc esset: quod venereus vsus promiscuè daretur de vna in aliam speciem aduersus ipsa iura naturæ, cuius promiscuitatis vsus brutis etiam, si inter eos admittatur, pro errato eorum sensibili liquet notione, illamq; factusmet ipsis detestantur *ex Plin. nat. hist. lib.* 8. *c.* 16. de ea sic alloquente: odore pardi coitum adulteræ sentit leo: totaq; vi consurgit in pœnam. Idcirco aut culpa flumine abluitur, aut longius comitatur, quod sacræ sanè consentaneum est auctoritati scripturæ, à qua nobis minimè discedendum est. *Leu. c.* 19. *n.* 19. Aliud esset quod si cuiusuis generis omnia omnibus suis æquè competerent speciebus, aut vna tantum cuiusuis esset generis species; aut genus vnum, & idem esset cum specie sua, & ipsa consequenter vana redderetur speciei constitutio, inutilis, & nihili eorum omnium euaderet forma. Nam retento, exempli causa, themate assumpto iuris essendi; & in natura se conseruandi, quod omnibus diximus vniuersaliter competere creaturis, eò quod illud naturæ sit bonum ijs omnibus competens. Creaturis tamen cum non vnum, & idem, vt sensui patet, sit omnibus esse, nec vnus, & idem sit omnibus in natura se conseruandi modus, si diceremus: quod

ius

ius in naturā eſſendi, ac in ea ſe conſeruandi vno æquè, ac eodem modo rationalibus, ſenſitiuis, vegetatiuiſq; deberetur, ac cōpeteret, prout cōpetit, ac debetur inferiori vitę gradui poſitiuo nuncupato, quod eſt non ratiocinari, non moraliter, ſeu ciuiliter agere, non rerū perſcrutatione mirabilium delectari, non dominari, non bona terræ comedere, non ſentire, non enutriri, non procreare, nō vegetare, vel aliud quid ſimile, ſed eſſe dumtaxat, & in hoc ſimplici eſſe in ipſa perſeuerare natura: hominibus vtiq; diſcursū impedire, ciuilem prohibere conuerſationem, animantibus ſenſum, vtriſq; victum, ac generationem, arboribus vegetationem, iumenta, ac homines occidere iuri huic eſſendi, & in natura ſe conſeruandi minimè contrarium eſſet, quia homines, & animalia interfecta, arbores cæſæ in natura eam adhuc exiſtentiam, & conſeruationem habent, qualem lapides habere videmus, eiſq; habere naturaliter competit, atq; debetur. Debemus ergo dicere: quod hoc ius eſſendi, & in natura ſe conſeruandi rebus competens creatis ſit, ac eſſe debeat, in eo ordine, gradu, ſtatu, ſpecie, & forma preciſis, & in eum determinatè finem, in quibus qualiter, & in quem ab ipſo naturæ exordio à Deo creata fuerant, quia à forma vnaquæq; res proprium ſumit eſſe naturale ſuum, in eaque conſeruationem habet, quomodo, & qualiter ei ex hoc competit, ac debetur iure naturæ. Vniuerſalia conſequenter omnia naturæ illiuſq; iura ad ea reſtringuntur, quæ ex propria cuiuſque ſpeciei forma cuiq; competunt creatæ rei. Nam ſi ſpeciei conſtitutio ipſa eſt inter plura vnius generis differentię aſſignatio naturę, qua, & quibus ab inuicem diſtinctę & diremptæ inter ſe remanent ſpeciesmet ipſæ, ſpeciebus etiam non omnibus eadem naturæ cōpetant iura, conſequens eſt, & maxime humanæ ſpeciei noſtræ, cui, quæ animalitatis ſunt, non à ſuæ contingunt proprietate formæ, ipſius ſed materiæ, quæ ab eiuſdem licet viuiditate formæ vitam recipiens in vna cum illa conuiuat hypoſtaſi, illarum tamen propter hoc non mutantur, vel inter ſe comixtæ confunduntur ſubſtantiæ, ſed eædem natura, in ſuis quæ eſſent ſimplicibus, in ipſa quoq; remanent, ac perſeuerant compoſiti vnitate: etſi ergo ex ſenſibilis corporis, & animæ intellectiuæ vnitate cōſtet homo, re vera tamen non ſenſibile corpus, ſed ipſa intellectiua eſt anima, eum quę facit eſſe hominem, de illius conſtructione Moyſe ſic *Gen. c. 2. n. 7.* in ſpiritu Dei alloquente formauit igitur

ho-

hominem (corporeum, videlicet, illud, quod oculis videri, digitoq; potest demonstrari figmentum) ex limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem: ex quibus liquidissimè constat: quod anima intellectiua à Deo in faciem luteæ illius inspirata structuræ propria fuit hominis forma, quoniam illi hominem esse dedit, quod facere proprium est formæ *l. Iulianus §. si quis ff. ad exhib. l. si is qui §. quadã ff. ad l. falcid.* forma autem vna cum sit indiuisibilis, & ab omni alia distincta, & separata *Ias & DD. in l. p. §. sed si mihi ff. de verb. ob. col. 3. n. 6.* sic formato det esse vnum indiuisibile ab omni alio formato distinctum, & separatum, consequens est. Sicut ergo anima nostra intellectiua ab omnibus alijs specierum viuentium formis forma est distincta, & separata, nos sic facit esse vnum speciei formatam ab omni alio specierum animantium formato formaliter distinctum, & separatum. Non ergo caro quam cum cęteris communem habemus animantibus verè est homo, sed mens cuiusq; hominis verè est homo quisq; quod apud ethnicos etiam cognitum, & approbatum fuit ex *Macrob. de som. Scip.* introducente Africanum cùm Scipione sic loquentem: *Is non est homo, quem hæc quæ digito potest demonstrari figura, sed mens cuiusq; ea est homo quisq;* Volens propterea nobis Deus nostri arcanum pandere compositi *Gen. c. 4. n. 7.* irato Cain sic ait: *Quare iratus es? cur concidit facies tua? nonne si benè egeris recipies, sin autem malè statim in foribus aderit peccatum tuum?* post hæc subiungens ait: *sed sub te erit appetitus eius:* si eius: non ergo Cain, sed sensibilis animalitatis ipsi Cain inhærentis huiusmodi erat appetitus, propterea non dixit tuus, sed eius, vt cognosceremus, quod caro, qua circundati sumus, est quid à nobis distinctum, licet non re separatum, & quod appetitus eius à nostro longè distat, quia ille sensibilis, noster rationalis, & intellectiuus, immo non propriè appetitus, sed voluntaria cogniti dilectio boni, ipsius tanquam processio intellectus, à quo internum nostrum habemus essendi principium, quod rursus clarius declarans ait: *& tu illius dominaberis;* si ergo ei dominari poterat per consequens ipse Cain in superiori vitæ gradu suæ constitutus animalitatis, ei potens erat dominari eius omnes cohibendo affectus, & passiones, quia ipse, sicut & nos omnes quid à carne nostra, licet non re separati, natura tamen, & actibus distincti sumus, Domino *Io. c. 3. n. 6.* dicente: *quod ex*

carne natum est, caro est verè, quod ex spiritu, spiritus est verè; etsi ius naturale est, quod omnia, quorum dicitur naturale ius, ipsa natura docuit *l. p. ff. de iust. & iur.* per consequens iura hominum animalitatis non erunt iura, ei nec tamquam talia competunt, quia quæ sunt hominum scit nemo, nisi spiritus hominis, qui in ipso est *Apost. p. ad Cor. c. 2. n. 11.* sic è contra hominumquę sunt, propria non erit particeps natura caro: erit igitur hominum naturale ius boni communi formæ conuenientis, & conducentis nō sensibilis, sed rationalis, & intellectiua notio, à Deo in interno nostro essendi, & agendi inserta principio inter bona, & mala: bonum, & bonum rationaliter distinguere, & dijudicare valens, qua non carnis nostræ excitantur, sed reprimuntur passiones, & motus, & nostra inuitatur, & mouetur voluntas ad id, quod inter bona sic dijudicata melius est eligendum, & deteriora, & nociua repellendum, quoniā ita agere nostræ proprius, & rectus est actus formæ *Psal. 4. n. 7. Eccl. 31. n. 10. c. 17. n. 30. Apost. ad Rom. c. 8. n. 6. & 7.*

Hominem enim fecit Deus ad imaginem, & similitudinem suā, & secundum se vestiuit illam virtute: disciplina intellectus repleuit illum, & creauit illi scientiam spiritus, & sensu impleuit cor eius, ostendit illi bona, & mala: consiliumq; oris sui posuit in manu sua, vt non coactè sed spontanæè secundum se operaretur, voluntarieq; ab iniquo discederet, vt cum potuisset transgredi, & trangressus non esset, esset illi gloria æterna, ad quam creauit illum. *Gen. c. p. n. 26. & 27. c. 5. n. p. c. 9. n. 6. Eccl. c. 17. n. 2. 5. 6. & 11. c. 15. n. 14. c 31. n. 10. Iob c. 38. n. 36. Sap. c. 12. n. 19. Psal. 8. n. 6. Pet. p. c. 5. n. 2. Apost. 2. ad Cor. c. 5. n. p. & 2. ad Heb. c. 13. n. 14.*

Nobis propterea volens Deus nostræ excellentiam manifestare formæ *Psal. 81. n. 6.* ait: *Ego dixi vos Dij estis*, ad imaginem enim Dei quippè factus est homo. *Gen. c. 9. n. 6.* Hæc autem forma, vt diximus, ipsa cum sit anima intellectiua, à qua nostra sicut procedit formalitas, ac homines esse recipimus, ab ea sic humanę veræ omnes effluant, easq; recipiamus operationes, oportet, quia omnis actus est formæ, scriptura *Sap. c. 15. n. 11.* dicentem: *qui inspirauit illi animam, quæ operatur omnia*. Hæc autem hominis forma sicut præcæteris animantium formis præexcellens est, illius sic omnes actus præexcellentes sint necesse est, vt ei conformes sint, homogenei, & naturales *Eccl. c. 33. n. 23.*

Her-

Humana autem forma, ſicut ſolius eſt hominis, & alij nulli animantium ſpeciei natura competit, competereue poteſt, humani ſic actus, quatenus humani, alij nulli animantium ſpeciei natura competant, competereue valeant, conſequens eſt, quia, ſi in nobis eſt illa eſſendi, & agendi naturale principium, ſicut à brutis nobis dat eſſe naturale omninò diſtinctum, & ſeparatum, ſic agere, & operari ab ijs diſtinctum, & ſeparatum nobis tribuat, oportet: extrema enim ſicut tantumdem à ſe viciſſim exaduerſo dimenſo diſtant ſpatio *Pſal.* 102. *n.* 12. noſtra ſic, & brutorum ſpecies à ſe viciſſim tantumdem exaduerſo oppoſita, quæ ab inuicem fuerunt à natura diremptæ, & ſeparatæ diſtant ſectionali differentia, qua ergo nos à brutis, bruta exaduerſo conuerſa, ſeu per contrarium à nobis æquè diſtant differentia. Ratione ergo cum ab ijs dirempti ſimus, nos propterea rationales, ipſa verò è conuerſo irrationalia dicuntur, ab ijs igitur natura tantum diſtantes ſumus, quantum ab irrationalitate ipſa diſtat rationalitas: ipſa verò à nobis quantum à rationalitate ipſa diſtat irrationalitas, eadem quæ eſt diſtantiæ exaduerſo conuerſa dimenſio, quæ natura quodamodo infinitatem ſapit, licet nobis ob noſtræ cohærentiam carnis eſſe nobis contigua videatur. Si rationalitas ergo ea eſt, quæ nos homines eſſe facit, differentia, ac limites circumſcribit totam complectentes, & terminantes humanitatis noſtræ naturam, humanam quam appellamus ſpeciem, intra quam ſicut totum hoc continetur eſſe differentiale hominem conſtituens, ſic extra illã à limite inferiori nõ inueniatur oportet, ſed ibi conſtituta ſit irrationalitas, alia quæ huic eſt oppoſita differentia irrationalia conſtituens, limiteſq; circumſcribens illorum totam circumplectentes naturam, quam brutorum ſpeciem appellamus, per conſequens intra ſepta rationis perpetuò nos commoremur oportet, & ſine ratione nihil agamus omnino, quia hac ſola ab irrationalibus diſtinguimur differentia, & intra noſtræ concludimur, & continemur limites ſpeciei. Si verò hoc totum quod intra ſepta ſpeciei continetur humanæ, humana verè eſt ipſa natura, & humana hęc natura non, niſi rationalis eſt, naturalia per conſequens iura rationali huic competentia, & debita naturæ, ſint & ipſa rationabilia, ipſa poſtulat ratio. Bruta ergo quemadmodum propria eorum forma, & differentiali ſectione ſpeciei à nobis, & nos ab ipſis viciſſim diſtantes ſumus, ſic & naturæ iuribus reſpectiuè compe-

 tenti-

tentibus eodem quoq; ſimus diſtantes modo neceſſe eſt. Senſitiuorum ergo iura humanæ velut non propria formæ nobis quatenus hominibus actu minimè competunt, ſed ſunt noſtræ à Deo ſubiectata cognitioni, & voluntati, vt ab ijs tanquam alienis, & noſtræ indecoris, & inconuenientibus naturæ omni abſtineremus diligentia: Nam ſi bruta ipſo quæ ſentiunt afflatu naturæ propriæ ſuæ eſſe cõuenientiora formæ, ad ea quoq; tamquam eorũ potiora naturæ inato ſe extendunt appetitionis hiatu, ea quaſi conſultè eligerent, propter quod eodem tempore bina ſi ante canẽ fruſta proijciantur panis alterum, alternum carnis, inter ea propriæ ſagacitate naturę ſuę quid ſit placitius formæ ipſo diſtinguẽs odoratu deteriori relicto ſapidiori innata ſe applicat appetitionis ingluuie, nos ſic ratione inter vtramq; quantũ interſit probe diſtinguentes naturam, illorum quę ſunt, cur noſtræ tamquam indigna naturæ non abijcientes ad ea, noſtræ quæ ſunt excellentiora formæ, ex animò totis non applicauerimus viribus, ab illis vt nos diſtinctos eſſe, intelligenteſq; non minus agere rectè, quam illa non intelligentia agant, re ipſa manifeſtauerimus? tantoq; magis, quod vlla abſq; alia nos ſuadente ratione, vel excitante ſtimulo, tum ex diuino im̃utabili decreto, tum ex propria noſtra ita tenemur facere formalitate. Nam naturale ius ſecundum eius propriam ſignificationem, aliud nil eſt, quam diuina ordinatio illa in ipſo creatæ naturæ exordio ſingulis à Deo præſcripta creatarum rerum ſpeciebus, quas ab inuicem diſtinguens, & ſeparans ſpecialem pro libito voluntatis ſuæ eis condixit formam, formæq; & naturæ legem ab ijs inuiolabiliter ſeruandam, extra cuius egredi limites eſt à propria recedere natura, & dominatorem eam conſtituentem ſpernere *Gen. c. p. n. 11. 22. & 25. Iob c. 37. n. 6. 7. 15. & c. 38. per totum & ſignanter n. 8. 9. 10. 12. 32. 33. & 41. nec non & c. 39. Pſal. 103. n. 9. & Pſal. 118. n. 91. Reg. p. c. 15. n. 11. Apoſt. p. ad Teſſ. c. 4. n. 8. Iud. eius vnica n. 6.* Ius propter hoc naturæ dicitur immutabilè, quia diuinum verbum, & voluntas à quibus proceſſit, & ipſa immutabilia ſunt, §. *naturalia Inſtit. de iu. nat. gen. & ciu. Pſal. 32. n. 4. 9. & 13. Pſal. 103. n. 5. & 9. Pſal. 148. n. 5. & 6. Eccleſ. c. 3. n. 14. Iob c. 23. n. 13. Apoc. c. 4. n. 11. Num. c. 23. n. 19. Iſa. c. 54. n. 16. & 17. c. 46. n. 10. Ezech. c. 12. n. 25. & 28. Malach. c. 3. n. 6. Reg. p. c. 15. n. 29. c. 28. n. 17. & tertio c. 24. n. 26. Eccl. c. 39. n. 23. Mat. c. 24. n. 35. Mar. c. 13. n. 31.*

n.31. Luc. c.21. n.33. Io. c.10. n.35. c.18. n.9. necnon per se semper iustum, & bonum *Gen. c. p. n. 4. 10. 13. 21. 25. & 31. Eccl. c.39. n.20. & c.2. & c.7. vers. nam hoc, etsi quid huic simile dist. p.*

Quia omne verbum, & voluntas Dei, à quibus, vt dictum est, esse recepit, & ipsa per se sunt bona, iusta, honesta, & sancta *Deut. c.6. n.18. Psal.5. n. 13. in fin. Psal. 50. n. 20. Prou. c.8. n.8. & 9. Isa. c. 39. n.8. Apost. ad Rom. c.12. n.2.*

Eaq; obseruare, sicut & istud semper est æquum, bonum, iustum, & honestum *l. ius ff. de iust. & iu. c. ius naturale dist. p.*

Sicut è contra illud, & illa prætergredi quoq; malum, iniustum, & non honestum *Reg. p. c.15. n.11. 23. & 26. Isa. c.45. n.9. & 25. Apost. ad Rom. c.2. n.14. & 15.*

Sicut enim non visibile hoc carnis indumentum, quo cuiusq; mens tegitur, quod *Beatus Iudas sua vnica n. 23.* alio nomine tunicam maculatam appellat, sed in eo inuisibilis inclusa mens cuiusque ea est homo quisq; non carnis sic, sed mentis lex naturale sit hominum ius ipsum mentis manifestat lumen, per opera enim in humana carne non secundum carnis, sed mentis edita legem inuisibilia istius per visibilia illius visibilia facta arcanum mysterium hoc ita se habere manifestum faciunt, & esse cognoscimus, idque tantò clarius, quantò eorum leges sunt sibi in inuicem ex aduerso contrariæ, quoniã opposita iuxta se posita magis elucescunt *Apost. ad Gal. c.5. n.17. 19. ad Rom. c.8. n. 5. 6. 7. & 8.* si n. ad Dei similitudinem ab eo factus fuit homo, vt secundum se operaretur *Gen. c.p. n.26. & 27. c.9. n.6. Sap. c.12. n.19. Io. c.8. n.39. c.15. n.8. & 16.* eius, quæso, qualem similitudinem, eius vel opus operari posset, si suam secundum carnis legem duceret vitam? *Apost. ad Rom. d. c. 8. n. 8. & 13.* Interna enim cum illa constet potentia venerearum appetitiua voluptatum tamquam internum sibi à natura insertum in ea agendi, & se in ea conseruandi principium, sine quo ipsa nec caro esse posset, neq; per successiua à se genita conseruare se valeret indiuidua, qua ad sensibilem earumdem voluptatum, ac eorum quæ ad ea sunt, notionem, & haustum suaptè natura fertur, quæ notio improprio quidem vocabulo carnis dicitur voluntas, quasi eius sit propria, quæ verè ipsius est naturæ voluntas, proprio autem concupiscentia appellatur *Apost. ad Eph. c.2. n.3. ad Gal. c.5. n.17. Eccl. c.23. n. 9. Iob c.31. n.1. & 2. Prou. c.7. n.27.* Illa ergo cum in ipsa sit carne internum

prin-

principium, origo, & causa venerearum omnium passionum, motuum, ac processiuorum actuum, atq; effluxus seriei illorum, ac eorum omnium, quæ circa huiusmodi sunt, norma quædam à natura certis ingenitis constituta viribus, iucentiuorumque, ac motuum rithmis, quibus incita mouetur caro, agit, & operatur, propter hoc lex appellatur carnis, quia vniuersæ carni, pro generis sui à Deo fuit assignata lege. *Apost. ad Rom. c. 7. n. 23.* Hæc autem lex carnis in comparationem legis humanæ mentis, hoc est præexcellentis naturæ nostræ, lex quoque dicitur peccati, quia per hanc carnis legem peccat homo quatenus homo *Apost. ad Rom. d. c. 7. n. 23. & 25.* Nam licet, vt nos docet *B. Athanasius Vers. 35. sui symb.* hæc caro nostra vna cum nostra simul mente colligata vnus tantum sit homo, hæ tamen carnis, & mentis substantiæ in dicta vnitate manentes neq; inter se se mutuò confunduntur, neq; immutantur, sed vnaquæq; cuius per se est, remanet generis ita, vt, quod in dicta vnitate ex carne natum est, caro sit verè, quod ex spiritu spiritus verè *Io. c. 3. n. 6. Gen. c. 6. n. 3. Eccles. c. 12. n. 7.* nostra igitur caro, etsi cum mente, in huiusmodi conuiuat vnitate, per se tamen rationis non est capax, esse nec potest, nec eius notionem habet, habere nec potest, quia ratio priuata est mentis facultas, & virtus, & illius mens sola capax est, & ratiocinij, seu discursus illius notionem habet, cuius series, & effluxus lex dicitur mentis: sic concupiscentia priuata est vis, & facultas carnis, cuius motuum, & processionum effluxus, & series lex dicitur esse carnis, cuius & illa naturalem notionem habet, huiusmodiq; notitia carnis dicitur sapientia, quia illius quæ sunt, sapit, ac percipit *Apost. ad Rom. d. c. 8. n. 5.* hæc autem carnis sapientia Deo est inimica, eiusq; diuinæ aduersatur legi, cui non est subiecta esse nec potest, nostræq; mentis legi exaduerso contraria est, quia concupiscentia carnis internum est in nobis peccandi principium: mentis verò rectè agendi. *Apost. ad Rom. d. c. 8. n. 6. & 7. c. 7. n. 23. & 25. ad Gal. c. 5. n. 17.* Quibus sic stantibus in hac consequenter concupiscentia dictarum voluptatum sic, vt supra, in se notionem naturaliter habente tamquam eorum, quæ sunt carnis, agendi potentia, earumdem etiam potentialiter hauriendarum voluptatum, insit naturalis actus, consequens est, alioquin ab ea neq; educi posset, illius neq; naturalis processio esset, quia nil aliud est ipsa actus processio, quam illius ab interno viscere pro-

priæ

priæ eductio ad extra potentiæ: huiusmodi verò actus considera- tus vti iam in esse productus, cum ex antedicta naturæ notione in ipsa potentia in viribus præconcepta naturæ, illiusq; ingenita agendi sagacitate, quasi ex ipsius inde educta fuerit præmeditatione carnis, carnis sic dicitur prudentia, quæ in hominibus ex prescripto rationis viuere debentibus peccatum est. *Apost. ad Rom. c.2. n.14. & 15. c.7. n.23. & 25. c.8. n.6. & 8. 12. & 13. ad Gal. c.5. n. 17. & 21.* sicut autem dictus concupiscentiæ actus sic, vt proximè superius consideratus dicitur, & verè est actuale peccatum, quia ab ipsa iam eductum potentia verè consumatum est, ab ea sic nondum eductus, sed in ipsa adhuc latens, atq; inexistens potentia non actuale, sed potentiale dicatur peccatum, consequens est, à propriæ propter hoc antequam exeat viscere potentiæ ob illius inhærentiam perpetuò nostræ incumbentem carni, in nostra etiam Apostoli testimonio *ad Rom. d. c. 7. n. 18. & 20.* dicitur habitare carne, sic dicentis: *scio enim quia non habitat in me, hoc est in carne mea, quod est bonum* (ipsum sed peccatum) quod dictum est malum. *B. quoq; Iac. suæ c.p. n. 14. & 15.* in proposita materia sic ait: *Vnusquisq; à propria tentatur concupiscentia abstractus, & illectus* concupiscentia propter hoc per semetipsam, & caro propter illam, eo quod istius sit illa internum venereè agendi principium, promiscuè dicuntur stimulus peccati, & angelus satanæ *Apost. 2. ad Cor. c.12. n. 7.* quia earum nos proritu peccare tentant, sicut & ipse facit satan *concupiscentia verò cum conceperit* idest interius præconceperit suos abs se emittere actus, *intra se parit peccatum, peccatum verò* hoc sic conceptum, ac intra se genitum *cum consūmatum*, idest iam editum fuerit ab ipsa nempè concupiscentia illud sic, vt supra concipiente actualiter eductum *generat mortem*: ecce ergo, quod internum hoc concupiscentiæ conceptum antequam ab ea, eius tamquam potentia naturali, educatur, potentiale dicitur in ea habitans peccatum, ex qua tamquam ex propria mansione occasione, & ansa accedente continuo paratum est ab illius quasi erumpens foribus foras egredi, è quibus cum actualiter emergit actuale dicitur peccatum, Domino sic *Gen. c.4. n.7.* Caim dicente: *si autem malè egeris, statim in foribus aderit peccatum tuum*, caro propterea promiscuè tum caro, tum corpus dicitur peccati, quia in ea tamquam in corpore anima, ipsum inhabitat peccatum, quod ipsius sunt carnis

pro-

processiut, & naturales actus venerei *Apost. ad Rom. d. c.* 8. *n.* 3. *& d. c.* 7. *n.* 5. 17. 23. *&* 25. propterea *Eccl. c.* 17. *n.* 30. scriptum est: quod nequius quidquam excogitari potest, quam in se ipsa excogitauerit caro, quia excogitatio illius internum est conceptum illud, quod ab ipsa actu eductum, actuale diximus esse peccatum, quo nequius quidquã re inueniri potest, quia per illud morimur, a Deoq; qui nostra est vita, separamur. *Gen. c.* 2. *n.* 17. *Apost. ad Rom. c.* 5. *n.* 12. *c.* 6. *n.* 23. *Isa. c.* 59. *n.* 2 propter hocquè caro etiam corpus dicitur esse mortis, quia per carnem peccamus & per peccatũ morimur, ideo sicut causa causæ dicitur esse causa causati, sic à secunda causatũ causa, primæ rectè ascribitur causę, mors propterea, quæ peccati est effectus, carni rectè ascribitur, quia si illa est peccati causa causantis mortem, per consequens etiam mortis ipsius causa fuisse dicitur *Apost. ad Rom. d. c.* 7. *n.* 24. *c.* 8. *n.* 6. *&* 13. Huiusmodi ergo cum sit natura, & lex carnis, cui exaduerso est contraria lex, & natura mentis, ista quoniam spiritualis est, & internum in nobis rectè agendi principium, illa autem carnalis, & internum in nobis errandi, ac peccandi principium, ad inuidiam ideo in inuicem earum internis dicuntur concupiscere, ac verè concupiscunt legibus, & iuribus naturæ *Apost. ad Gal. c.* 5. *n.* 17. *ad Rom. c.* 6. *n.* 12. *&* 13. *Iac. c.* 4. *n.* 5. *Io. p. c.* 2. *n.* 16. *Iud. n.* 23. hinc est, quod mente, & mentis lege, quæ spiritualis est, Deo, qui spiritus est, eiusq; spirituali seruiamus legi, quæ norma est iustè, sanctè, atq; honestè viuendi: carne verò, & carnis lege non Deo, eius nec legi, cui non est subiecta, esse nec potest, sed ipsi seruimus legi peccati, quoniam, vt spiritualibus spiritualia. Sic carnalibus carnalia comparantur *Apost. ad Rom. d. c.* 7. *n.* 14. *&* 25. *c.* 8. *n.* 7. *P. ad Cor. c.* 2. *n.* 13. *Io. c.* 4. *n.* 24. volens propterea Apostolus arcanum infirmitatum, ac propensionum nostræ nobis manifestare carnis *Ad Rom. c* 6. *n.* 19. *sic c.* 7. *n.* 21. 22. *&* 23. ait: *Inuenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam malum mihi* propter carnem meam, in qua illud inhabitat *adiacet*: *condelector enim legi Dei secundum* mentem, ac *interiorem hunc hominem meum: video autem aliam legem in membris meis repugnantẽ legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis, hoc est in carne mea*, ab ipso in nobis fomite detecta peccati Domino sic *Gen. c.* 3. *n.* 11. dicente: *quis tibi indicauit, quod nudus esses, nisi quia ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes,*

come-

comediſti? Hæ ergo duæ carnis, & mentis ſubſtantiæ cum internis natura exaduerſo contrarijs conſtitutæ principijs, potentijs, legibus, & actibus in vna tantum, ſimul ſint colligatæ vnitate, in eaq; earum vnaquæq; ad alterius concupiſcens inuidiam ex ipſarum internis proprijs potentijs proprios, & conaturales actus ipſarum tamquam vitales motus, & actus, quibus in natura ſecundum proprium cuiuſq; eſſe re expirant, & viuunt, educere contendat, & ęmuletur, vt actualiter ſecundum illud viuant; ſicut ita viuere earum vnaquæq; appetit, & deſiderat, quia nil dulcius viuenti, ipſum quam viuere, verum cum vnius vita alterius ſit mors, & è contra, vt cum de homine, ſi placuerit Deo, verba faciemus, difuſius, ac clarius demonſtrabitur, parte igitur ex vna mens noſtra Dei contemplans legem, ea tamquam bona condelectatur *Eccl. c.23. n.37.* quia bonum ſuæ proprium eſt pabulum naturæ: ab illa verò præuaricare peccatum, à quo tamquam malum abhorret, eiq; ſua reluctat voluntate, quoniam à malis, & nocuis viuens, omne abhorret, & refugit. Caro verò quippèquæ non contemplando, non penſatè quia ad hoc non eſt nata, ſed cunctanter agendo prout à propriæ ſuę rapitur vi concupiſcentiæ proprios procliua anſa accedente præproperat edere actus, ſic agens mentem tamquam mole oppreſſam materiæ, diuerſiſue abſtractam cogitationibus, vel ſibi adiacentia obiecta parum accuratè animaduertentem, vel faſcino nugationis illectam conſocialis delectationis à ſe animatæ carnis propria ſua obſcurantis bona deludit. *Sap. c.4. n.11. & 12. c.9. n.14. 15. & 16.*

Illa verò ſic, vt ita dicamus, deluſa in ſemet ipſa comtemplans peccati actũ è medio ſuæ propriæ irrepſiſſe noluntatis, nec illum ab interno ſuo ſenſiſſe effluere viſcere naturalis potentiæ, id quomodo nolens egerit, non intelligit: non intelligit autem, quia illa re vera peccatum illud ab interna ſua non eduxit potentia, quoniam peccata carnis non intellectiuæ noſtræ ſunt proceſſiones facultatis, quia noſtræ non eſt actus mentis coire, ſed carnalis concupiſcentiæ, mens ergo illud re vera non egit, nam ſicut in nobis quod ex carne natum eſt, caro eſt verè, & quod ex ſpiritu ſpiritus eſt verè *d. Io. c. 3. n. 6.* earum ſic naturales proceſſiones, & actus propriæ, non alterius ſunt ſubſtantiæ, ità vt carnales à carnemetipſa verè, ſpirituales à ſpiritu verè proceſſerint, ac proceſſiſſe dicantur, ac dicendi ſint. Quod myſterium nobis volens

 mani-

manifestare Apostolus miro, ac consueto suo grauitatis, ac breuitatis dicendi genere factum in semet ipso præfigurans *ad Rom, c.7. à n.15. vsq; ad fin. cap.* sic explicat dicens: *Quod enim operor, non intelligo:* quomodo autem homo id, quod ipsemet operatur, non intelligat, cum mens cuiusq; verè sit homo quisque, excogitari vtiq; non posse videtur, nisi, vt præmisimus, dicamus, quod mens ex ipsomet non potest percipere facto, quomodo eius renuente, ac reluctante voluntate, quæ internum suum est agendi principium, impedire non possit, quin concupiscibili obiecto presente, à sensibusq; iam percepto caro in semet ipsa potentiale hoc concipiat peccatum, & ad illud actualiter consumandum inflammetur, & stimulet sensum *Apost.2. ad Cor.c.12.n.7. Prou.c.6.n.27.* etsi mens ipsa est hominis forma, & formæ omnis est actus, quomodo formæ huius agendi principium, quod arbitrarium est, ad libitum suum non possit actu impedire motus, & affectus carnis, cum qua illa vnus est homo tantum, intelligi certè non posse videtur, quamquam experientia factum hoc doceat se habere in contrarium, necessariò ergo confiteamur oportet, quod motus, & affectus carnis non ab ipso mentis agendi principio, priuataq; ipsius naturali facultate, sed ab ipso carnis agendi principio, quod ipsa est carnis concupiscentia, actualiter procedant *Iac.d.c.p.n.14. Pet.p. c.2.n.12. Apost. ad Rom. c.13.n. 14.d.c. 7. n.23. & 25. ad Gal. c.5.n.17. Eccl. c.23.n.6.* propter hoc tamen nón alterutram ab vnitate, neq; ab inuicem in vnitate separantes diuidimus, sed distinguentes contemplamus, quia sicut vnitas, vnitas non immutat, vel confundit, sed colligatas simul retinet partes, sic eæ quæ, & quales erant in ipsa perseuerant vnitate, neque etiam propter hoc dicimus, quod caro menti non sit subiecta, & quod ei mens, si vult dominari non valeat, quia re vera valet, & debet, in ea ergo etsi caro se exhibeat tamquam lasciuiens iumentum, mens tamen tamquam ascensor eius sui liberi habena arbitrij eam, vt rectè viuat, cohibere potest, & cohibeat oportet. *Gen. d. c.4. n.7. Eccl. c.18. n.30. 31.*

Quorum vtrumq; vt nobis manifestaret *Apost. d. ad Rom. c. 7. n.15.* duas has carnis, ac mentis substantias modo tamquam vnum tantum ratione vnitatis suppositi, modo tamquam distinctas in ipsa nobis repræsentans vnitate eorum, prout ab ipso agebatur spiritu diuino, nobis explicauit naturas, & affectus, vt quid verè

esset

esset homo, & qui, & quales eius essent affectus, & propensiones cognoscere valeremus, vt vtriusq; eorum agnita, quiditate, qualitate, & propensione, quomodo postea rectè viuere, & operari deberemus ad nostrum scire valeremus profectum, & vtilitatem, quia in hoc re ipsa ediscimus, vt secundum ipsam intellectus operemur veritatem: postquam ergo ibi dixisset, quod id, quod secundum carnem, ipse ratione vnitatis suppositi operari diceretur, non intelligeret, quia bonum, quod secundum mentis legem perficere volebat, re non perficeret, & malum, quod secundum eamdem mentis legem odio habebat, re perficeret, bonum autem faciendum, & malum non faciendum secundum dictas mentis legem arbitrans legi diuinæ consentiebat se bonum hoc iubendo esse demonstranti, quoniam mens à malis sua propria refugit natura, & bona sectatur, si autem secundum ipsam mentis legem res ita se habet, ex prædictis sub n. 20. rectè inferens ait: *Ego ergo* (qui idem sum cum mente mea, quia mens cuiusq; verè est homo quisq;) *iam non operor malum istud*, quod facere dixi, *sed quod habitat in me peccatum* illud, videlicet, concupiscentiæ carnis meæ conceptũ, quod ab illius sibi oblata occasione erumpens viscere est malum illud, *quod nolens facio*, vt diximus supra, *inuenio enim legem volenti mihi facere bonum*, *quoniam malum* in carne mea insitum *mihi adiacet*, *condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem*, idest secundum mentem meam, *video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis*, hoc est in carne mea. *Igitur ego ipse mente seruio legi Dei*, quia, vt dixi, vnum, & idem sum cum mente mea, secundum cuius iura, & leges naturæ viuere debeo *carne autem legi peccati*, cui me subijciens, eiq; morem gerens per illam pecco, *cui enim quis se exhibet seruus ad obediendum, eius est seruus siue peccato ad mortem, siue Deo ad iustitiam, & vitam Apost. ad Rom. c.6. n. 16. d c.8. n.6. 7. 8. 13. Eccl. c.21. n.2. 3. & 4. Io. c.8. n.34. Pet.2. c.2. n. 19.* A Deo .n. facti fuimus, vt propriæ humanæ nostræ seruaremus iura naturæ, hoc est mentis nostræ leges, & iura, quia pro nostra nobis a Deo tributa fuit formalitate, & per quam à cæteris distincti, & separati specie fuimus animantibus terræ, quibus natura superiores sumus, sicut & carni nostræ, quę dictæ nostræ debet esse subiecta menti, & cui vt dominaremur à Deo facti fuimus, quia non puri animales, sed

homines mente præditi ab eo facti fuimus, vt sic ad illius imaginem, facti ad illius quoq; operaremur similitudinem *Gen. d.c. 4. n.7. c.9. n.6. Sap. c. 12. n. 19. Eccl. c. 18. n. 30. & 31. c. 33. n.23. Apost. ad Rom. c.2. n.14. & 15. P. ad Cor. c.9. n.27. Psal. 18. n.14. Prou. c.16. n.32.*

Fomitis autem enucleatis viribus nostræ detegentibus infirmitatem carnis reliquum est, vt videamus, num id, quod à multis pro certo asseritur, re ipsa verum sit, quod videlicet duæ inter homines sub vno tamquam genere contentæ reperiantur matrimonij iuris naturalis species. Altera primæui, quam simplicem illam dicunt esse maris, & fæminę coniunctionem ad animantis cuiusq; propagationem à natura introductam, quam vna cum præcepto crescendi, & multiplicandi humanæ nostræ cæteris cum animantibus terræ dicunt esse communem speciei, alio nomine concubitus vocata, ad quam probandam allegant *tex. Gen. c. p. n.* 28. Altera secundæui, quam post prædictam per nouam illam solemnitatum superinducentiam dicto matrimonio pro forma à Deo adiectarum introductã fuisse dicunt, illamq; probari ex *tex. Gen. c.2. n.23. &* 24. quæ tamquam à natura post priorem secundo introducta loco meritò etiam secundęui iuris naturę dictã fuisse volunt, quæ specierum matrimonij sectio non ita forsan, vt oporteret maturè perpensa posteris ansam reliquit, his maximè, qui paululum effugiunt, declinandi à sincero, & pio tramite veritatis, quem nobis custodiendum sacrosancta tradidit Mater Ecclesia. Nam si ius istud sic per eos distinctum in medium afferunt tamquam, quid ab ipsa absolutè procedens, & pendens natura, prout re vera procedit, & pendet: Et tunc pro natura aut intelligunt de natura naturante, & cum illa sit ipse Deus, sicut ille idem, & vnus semper fuit, est, & erit architectus, opifex, & creator optimus, ac sapientissimus rerum omnium: natura sic naturans vna semper, & eadem fuit, est, & erit, naturatam naturam, & omnia in ea quę sunt optimè, & sapientissimè creans, & consequenter in ipsa sine mendacio, & blasphemia non est dare primæuum, & secundæuũ. Aut intelligunt de natura naturata, prout magis est, vt de ea intelligant, & tunc: Aut volunt, quod natura, in illo quæ primo fuit æuo, in hoc secundo ad nihilum deducta euanuerit æuo, & alia denuò in eius fuerit suffecta locum: aut quod vna pars naturæ illo primo fuerit creata æuo, reliqua eius pars hoc secundo elaborata

rata

rata æuo: Aut quod natura, illo quæ primo à Deo fuit condita æuo, ab eo tamquam non affabrè elaborata, inconcinè, & imperfectè edita, in illo secundo fuerit emendata, & perfectioni tradita æuo, & tribus his modis illorum assertio neq; rationi, neq; diuinæ est consentiens scripturæ sic illa *Eccl. c.* 18. *n.p.* dicente: Deus creauit omnia simul, & omnia ab eo sic creata erant in semet ipsis valdè bona, & opera eius exquisita in omnes voluntates eius, ac valdè perfecta. *Gen. c.p. n.*4. 10. 12. 19. 21. 25. *&* 31. *Psal.* 110. *n.* 2. *Eccl. c.* 18. *n.p. c.*39. *n.*20. 39. *&* 40. Nam licet aquæ nondum desuper faciem terrę essēt euulsæ, & in vnum congregatæ locum non propter hoc erant imperfectæ, sed perfectæ, & valde bonæ *Gen. c.p. n.* 10. neq; terra priusquam germinaret erat imperfecta, sed perfecta in semetipsa, & bona valdè. *Gen. d. c.p. n.*9. 10. *&* 31. etsi è terra sensibilia eduxerit Deus, quæ vegetabilibus sunt nobiliora, non propter hoc vegetabilia in specie sua erant imperfecta, sed perfecta, & valdè bona. *Gen. d. c.p. n.*12. & licet inter sensibilia leo sit testudine nobilior, non propter hoc testudo in specie sua est imperfecta, sed perfecta, & valde bona. Væ propterea imminet dicenti factorī suo opus tuum imperfectum est *Isa. c.*45. *n.*9. *Eccl. c.*39. *n.*20. *&* 21.

Non enim ex eo quod creatura vna sit alia nobilior, atq; perfectior tollitur, vel perimitur perfectio, & nobilitas inferioris, sed distinguitur, & subordinatur, quæ distinctio, & subordinatio diuinæ est actus sapientiæ, quæ à fine ad finem attingens omnes ex singulis differentijs miro composuit ordine species. *Sap. c.* 8. *n.p. &* 6. *c.*9. *n.*9. *Prou. c.* 8. *n.*30. *Eccl. c.*24. *n.* 6. 7. 8. 9. *&* 40. *c.* 16. *n.*26. *Malach. c.*2. *n.*17. *in fin.*

Quarum effluxus, varietas, & constantia in ipsa mirabiliter conspicitur natura, immo in proposito thematis nostri dici posse videtur, quod ipsamet natura sit constans specierum creatarum rerum omnium complexa connexitas, singularumq; illarum omnium indiuisibilis, & immutabilis vnitas à Deo integrè, & perfectè ab illarum creationis exordio creatis indita rebus, & ad sæculi vsq; finem constanter permansura, nam, etsi in natura rerum perpetua detur vicissitudo, propter hoc tamen earum, in ipsa quæ sunt natura, non dissoluuntur specierum conexitates, illarum nec immutantur formarū vnitates, ipsiusue naturæ tollitur, vel infirmatur cōstantiæ perseuerantia, sed sicut ab exordio fuit in finem

vsq;

vsq; perseueratura est. *Eccl. c. p. 9. 10. & 11. Gen. c. 8. n. 22.* respondebunt forsan dicentes: non de natura loquimur, sed de iure naturæ: benè: si ius naturæ ipsius est naturæ facultas, & virtus; & facultas, & virtus pars est indiuisa substantiæ illius, cuius illa dicitur facultas, & virtus, per consequens etiam facultas, & virtus origine non potest esse prior, vel posterior ea substantia, cuius illa dicitur facultas, & virtus, sed vno cum ea cæperit esse contextu, necesse est, quia substantia omnis est indiuisibilis, & tota à Deo in ipso creationis creata momento *Eccl. d. c. 18. n. p.*

Quod a Iustiniano Imperatore optimè animaduersum fuit in *§. singulorum Inst. de rerum diu. dum ait:* quod ius naturæ illud est, quod cum ipso humano genere rerum natura protulit, si ergo iura naturæ simul cum hominibus, & tota creata natura in esse prodierunt, iura per consequens naturæ nequeunt esse partim primæua, partim secundæua, quia sicut ipsæ rerum species, ex quibus naturalia earum resultant iura, sunt immutabiles, earum sic immutabilia sint iura consequens est, propterea neq; æuum, vlla neq; creatura illa immutare potest, vt sint partim primi partim secundi æui, verum licet ex huiusmodi rationibus res ita se habere videatur, & ita esse abundè persuadeamur, cum tamen hæc cum sacris prædictis nondum sint concordata scripturæ textibus *Gen. videlicet, c. p. n. 28. & c. 2. n. 23.* sicut audendum non est, sic nos nec ita esse affirmare audebimus, sed quod dicunt, an ita sit examinabimus. Et licet *caput istud secundum Gen.* per eos allegatum sit primo in volumine ordine posterius, non per hoc tamen necessariò sequitur, quod posteriora naturæ contineat, vt ex infradicendis apparebit. Nam cum ab intellectu vnica quæ insolidū compræhenduntur apprehensione, vnico non valeant exprimi verborum conceptu, propter hoc historicus persæpè necesse habet vnius prius perficere tractationem rei, & alterius natura in partibus priora in sequenti dimittere narratione, ne omnia intercisa, saltuatimq; incæpta, & dimissa rudem, & confusam contexat historiam, impolitamq; edat orationem, quod a multis non animaduersum sibi ipsis, ac posteris magnorum fuere causa errorum. Suam igitur Moyses diuino prosequens ordine historiæ narrationem ad ea, quæ tertia die a Domino creata fuerant, deueniens *sub n. 11. & 12. primi capitis, ait: & Deus dixit: germinet terra herbam virentem, & facientem semen,*

& li-

& lignum pomiferum faciens fructum iuxtà genus suum, cuius semen sit in semet ipso super terram. Et factum est ita. Et protulit terra herbam virentem facientem semen iuxta genus suum lignumq; faciẽs fructum, & habens vnumquodq; sementem secundum speciem suam; exinde a creationis vegetabilium desistens narratione ad aliarum pertransit traditionem specierum creatarum rerum, donec ad hominis perueniens creationis historiā à Domino die sexta operatæ *sub n. 27. dicti capitis*, facti illius speciem summatim perstringẽs sic ait: *& creauit Deus hominẽ ad imaginem suam: ad imaginẽ Dei creauit illum: masculũ, & fœminam creauit illos*; nihilq; vlterius de modo, & forma eius absoluendæ creationis alloquens, ad alia transitum faciens circa ea primi narrationem absoluit capitis. Secundumq; exordiens caput dicit: *quod Dominus die septima quieuit ab omni opere, quod patrarat*, ac si totius materiam creationis suis omnibus partibus absolutam plenissimè tradidisset. Post hæc *sub n. 4. & 5. dicti secundi cap.* reasumens narrationem creationis vegetabilium die tertia à Domino absolutę sic exorditur dicens: *Ista sunt generationes cœli, & terræ quando creata sunt, in die, quo fecit Deus cœlum, & terram* (die illa videlicet tertia) *quando fecit omne virgultum agri antequam oriretur in terra, & omnem herbam regionis priusquam germinaret*. Quæ etsi serie capitulorum, ordineq; traditionis superius *sub n. 11. & 12.* enarratis sint longe posteriora, ordine tamen, non est ita naturæ, quia, etsi inter declaratum, & ipsam declarationem nulla detur præoccupatio prioritatis, vel posterioritatis secundum rem in ordine naturæ, secundum tamen nostrum intelligendi modum dari potest, secundum quem etiam eorum appositus locus caderet ante enunciata *sub dictis n.n. 11. & 12. primi cap.* quia circa vegetantium creationem ipsa non possumus appręhensione intellectus, quidquam eo concipere prius, quod ibi nobis reprę̨sentetur *c. 2. n. 5.*

Hoc autem ab eo inter cætera, quæ mysticè contemplari possunt, factum fuisse credi potest, vt occurreret errori, qui facilè circa vegetantium creationem nostris se posset inijcere mẽtibus, eo quod superius dixisset: quod terræ pręceperat Deus, vt herbas, arbores, & plantas proferret, & quod illa eas protulerat: ne quis ergo putaret, quòd terra ex se ipsa eas protulisset (licet valde extranea esset interpretatio) propter hoc in isto *secundo reposita cap. n. 5.* mente voluit esse præambula ijs, quæ superius dixerat in

d. c. p.

d. c. p. num. 11. *&* 12. vt istè omnis stirpitus eradicaretur error: Sic & non aliter ordine naturæ ante ea immediatè, quæ superius *d. c. p. nu.* 27. *&* 28. primoribus attigerat labijs de hominis creatione die sexta à Domino operata, ea præmittenda esse voluit, quæ secundo reposuit *cap. à n. 7. ad* 25. humanæ tamquam creationis priora naturæ, post quæ appositè cadunt, ac supponenda sunt quæ *d. c. p. n.* 27. *&* 28. dicuntur videlicet: *creauit igitur Dominus Deus hominem ad imaginem suam ad imaginem Dei creauit illum, masculum, & fæminam, creauit eos*, modo videlicet, & forma enunciatis *in d. c.* 2. *à n.* 7. *ad* 25. & post hæc benedixit illis, & ait: *crescite, & multiplicamini*. Adam enim ex terræ formatus limo &c. *vt in d. c.* 2. *n.* 7. si ante creationem Heuæ solus aliquandiu in paradiso permansit voluptatis vt ibi *n.* 18. *et* 21. *et Sap. c.* 10. *n. p.* quomodo *in præcedenti c. n.* 28. ei imposuisset præceptum de procreanda prole, si neq; Heua, vlla nec alia mulier, cum qua copulari, & generare posset adhuc creata erat? ecce ergo quod ea, quæ in *primo præcedenti cap. n.* 27. *&* 28. dicuntur, ex necessario antecedenti supponunt ea, quæ *in secundo sunt reposita capite*. Cum præterea prolis procreatio, speciei q; multiplicatio matrimonialis sit actus mediata operatio (ei quoniã pręcedit cõceptio) materniquę vteri fructus est, vltimusq; matrimonij finis *Gen. c.* 30 *n. p. &* 2. (vt plenius dicetur infra) illa pręcessisse matrimonio ipsa vetat ratio, quia finis, etsi prior sit intentione, posterior tamen est executione, actus nec prior potest ea èsse substãtia, cuius ipse est actus: ex necessario ergo antecedenti oportebat, quod Adam, & Heua prius essent, matrimonio copulati, quam eis prolis demandasset procreationem, prout manifestè patet ex ijs, quæ *d. c.* 2. *dicuntur*. Nam ibi dicitur: *& formauit Deus Adam de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem, & n.* 18. *&* 21. ait: *Non est bonum Adam esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi*. Et post hæc *n.* 22. 23. *&* 24. *immisit soporem in Adam, cumq: obdormuisset*, in extasiue mentis raptus esset, *tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea, & ædificauit costam, quam tulerat de Adam, in mulierem*, cumq; ab illo esset exsuscitatus mentis excessu, in quo in spiritu mysterium contemplauerat, & cognouerat creationis Heuæ quod esset typus, & eius figura matrimonij, quo ex diuina erant mutuo desponsatione copulandi. Heuam ad Adam adducens Deus, illam ei in vxorem

consi-

consignauit, & Heuæ Adam in virum; propter hoc Adam in spiritu Dei loquens, ait: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea &c.* ex quibus manifestè deducitur: quod origo matrimonij cum ipsa cœperit creatione Heuæ, in cuius formatione legem, & formam delineans Deus matrimonij alterum altera, & alteram altero in esse priorem noluit esse naturæ, sed alteram in altero, alterum in altera mysticè formans natura inseparabilia esse nobis demonstrare voluit *Apost. p. ad Cor. c.* 11. *n.* 11. 12. vt per hunc characterem in humana nostra impressum natura intelligeremus, quod sicut matrimoniali vti non valemus vsu sine muliere nobis matrimonio copulata, sic nec mulieris vsu sine ipsa matrimonii coniugatione cum ipsa contracta humanę absq; iuris naturę contemptu, & præceptorum illius contrauentione, vt ex prædictis apparet, & infradicēdis semper magis apparebit: propterea *n.*24. *d.*2. *cap.* subiungens ait: *quamobrem relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna:* quibus post hæc appositè subsequuntur ea, quæ in *d.p. dicuntur cap. n.*27. *&* 28. videlicet: *Deus igitur* (sic, vt dictum est, creatis, & inter se coniugatis primis parentibus nostris) *benedixit illis, & ait: crescite, & multiplicamini*, crescendi .n. & multiplicandi iussio, etsi matrimonium præcessisse ex antecedenti præsuponat necessario, ex sui tamen natura, vocisq; proprietate non matrimonium, sed prolis importat procreationem, quoniam hæc duo inter se sunt natura distincta, & cognita. *Gen.d.c.*30.*n.*1. 2. 4. 5. 15. 16. *&* 17. propterea Isaac filio suo Iacob *Gen. c.*28.*n.*2. *&* 3. sic locutus fuit: *accipe tibi uxorem, & Dominus te crescere faciet, & multiplicare*, hinc est, quod Abimelech, & serui eius, quamquam vxores haberent, & mutuum inter se se matrimoniale redderent debitum, crescere tamen, & multiplicare non poterant illius propter peccatum. Abraham verò pro ijs orante ad pristinam restituti fuere prolis fæcunditatem. Si enim illa importaret matrimonium ipsis vtiq; non esset facta, facienda nec esset coniugatis, quoniam ijs superuacuè, & frustratoriè fieret, & facta fuisset, quia, qui semel aliqua cum muliere matrimonium contraxit, cum ea denuò illud contrahat necesse non habet, verum hanc quotiescumq; fecit Deus iussionem non coniungendis, sed coniugatis fecit illam *Gen. c.*8. *n.*16. *&* 17. *c.*9. *n.p. &* 7. *c.*35. *n.*11. *c.* 16. *n.*10. *c.*17. *n.*2. 6. 20. non ergo matrimonium, sed prolis importat procreationem,

quæ à virtute à Diuino procedente verbo humano infusa femini nostra in carne naturaliter ingenito prouenit, illius tamquam interno principio; licet non immediato, quia illi est propinquius principiũ ipsa feminis in eadem carne feminati iniectio. *Gen. c. 21. n. 13. c. 26. n. 4. & 24. c. 27. n. 14. c. 38. n. 9. & 14. Sap. c. 7. n. 2.* quæ feminis iniectio mutua actuali fit vtriusq; intercedente sexus speciei eiusdem cognitione, propterea *Gen. c. 4. n. p. & 25. c. 38. n. 26.* sic scriptum inuenimus: *Cognouit Adam vxorem suam, quæ concepit, & peperit Cain: & adhuc quoq; cognouit eam, & peperit filium, & vocauit nomen eius Seth.* Iudas autem vltra non cognouit Thamar, & ex eo non peperit vltra, quæ actualis cognitio non matrimonium, sed carnis purus est actus, qui promiscuè dicitur venerea voluptas, coitus, & concubitus *Gen. c. 18. n. 10. 11. & 12. c. 38. n. 9. & 16. c. 39. n. 14.* concubitus enim si, vt dicunt, matrimonium esset, Sichem vtiq; qui gentilis erat, post cognitam Dinam ab Hemor patre suo, vt eam sibi iungeret matrimonio non petijsset. *Gen. c. 34. n. 4.* etsi oportere respondeant coniugatos hoc duplici iunctos esse matrimonio falsum apparet ex vero matrimonio sine copula intercedente inter B. V. Domini nostri genitricem, & B. Ioseph, quia matrimonium subsistit, & verum est matrimonium sine copula, quia non concubitus, ipse sed consensus matrimonium facit. *Gen. d. c. 34. n. 4. 8. 9. & 12. Iud. c. 14. n. 2. & 3.* quod etiam ipse cognoscens Iureconsultus *in l. nuptias ff. de reg. iu. dixit: Non concubitus* (quasi diceret: quia purus carnis est actus) *sed consensus matrimonium facit*, quia is purus est voluntatis actus à spiritu procedens intellectiuo nostro, quo verè homines sumus, & vt homines operamur, propter hoc carni non competit, competere nec potest, quia illa non consentiendi, non honestè viuendi, non se continendi ab alterius iactura, non tribuendi cuiq; quod suum est, quæ propria iuris sunt naturalis hominum præcepta ab exordio humanæ creationis nostræ infusa naturæ, non deniq; mysteriorum Dei capax, ipsum quale est matrimonium, quia quæ hominum sunt nouit nemo, nisi spiritus hominis, qui in ipso est, caro verò ea non percipit, quæ spiritus sunt, legi Dei nec subiecta est, esse nec potest *Apost. ad Rom. c. 8. n. 7. & 8. P. ad Cor. c. 2. n. 11.*

Non venerea ergo voluptas, non coitus, non concubitus inter se te quæ synonyma sunt, non deniq; simplex illa nostro ex femine

plas-

plasmatum procreatio, & carneæ molis in indiuiduis separatis multiplicatio à nostræ actu velut prouenientia carnis, sed honestæ humanæ instituendæ generationis naturalis methodus æqua, & bona ars legitimæ propagandæ prolis, humanæq; nostræ arcanum mysteriū cum sanctimonia multiplicandæ speciei ab exordio creatæ naturæ à Deo constitutum, vt sanctè, & honestè, ac sine querela cum nostræ speciei indiuiduis conuersare, illamq; ex nobismet ipsis in alijs similibus conseruare valeremus, hoc verò est matrimonium, cuius fit virtute, vt extra illud inhonestus qui esset, in ipso sit honestus carnis concubitus, adeo, vt non illum qui iuxta consueta expleat, sed illum qui neget, Deum, & naturam offendat, & peccet *Gen. d. c. 34. n. 7. c. 38. n. 9. Apost. p. ad Cor. c. 7. n. 3. 4. & 5.*

Coitus verò purus est actus carnis. *Gen. c. 30. n. 39.* ex quo in verbo Domini ipsa generatur caro. *Gen. c. 38. n. 18.* cui non necessarius humanus est consensus, sed solus per se ad generandum sat est. *Gen. c. 19. à n. 32. vsq; ad fin. cap. & signanter n. 33. & 34. c. 34. n. 2. Reg. 2. c. 13. n. 14. Sap. c. 7. n. 2.* Apost. ad Heb. c. 11. n. 11

Huiusmodi verò plasmatibus carneis sic, vt supra, alioue modo ex coitu formatis infundit Deus in verbo promissionis suæ spiritum intellectiuum, quemadmodū illum infudit luteo illi plasmati primi parentis nostri *Gen. c. 2. n. 7. & d. c. 38. n. 18. Eccles. c. 12. n. 7. Zach. c. 12. n. p. Iob c. 10. n. 9. c. 33. n. 6. & 4. Sap. c. 7. n. p. c. 15. n. 11.* propterea *Io. c. 3. n. 6.* scriptū est: *quod nascitur ex carne caro est,* quod ex spiritu spiritus est. Caro verò suum sicut sumpsit principium à terreo plasmate illo à Deo ex luto effìcto, & spiritus noster ab ipsa diuini inspiratione oris, caro sic hominis dicitur esse præcipua, quia ex terrea materia & ipsa educta fuit, quemadmodum & homo ab ea eductus fuit, & super quam ex diuina concessione naturalem habet potestatem. *Sap. d. c. 7. n. p. Eccl. c. 17. n. 3.* spiritus verò illius dicitur esse Dei. *Gen. c. 6. n. 3. Iob c. 12. n. 10.* quia diuini eius est inspiratio oris ab ipso immediatè prouenient *Iob c. 26. n. 4. & d. c. 33. n. 4.* diuinæ .n. cum sit effictio imaginis, præter Deum illam effingat, impossibile est, quia Deum cognoscit nemo, nisi ipse Deus. *Mat. c. 11. n. 27. Io. c. 5. n. 37. c. 6. n. 46. c. 8. n. 19. c. 10. n. 15.* In opere igitur generationis homo tamquam naturæ subminister suæ potest communicare proli id, ex quo ipse est, & cuius ipse potestatem habet, id videlicet, quod ex terra est, quo-

niam ex ea ſumptus eſt, propter hoc noſtrorum vterq; primorum parentum à Deo Adam vocatus fuit, quod ex terra eſſe ſignificat. *Gen. c.5. n.2.* carneum, videlicet, plaſma illud ex humano ſemine in vxoris euectum, & formatum vtero, cui ex promiſſione diuina intellectiuus à Deo infunditur ſpiritus, eius diuini tamquam inſpiratio oris, & imaginis illius ſimilitudo. Dominus propterea. *Gen. c.p. n.28.* naturale non inſtituens matrimonium, ſed noſtra, qualis ſit, nos erudiens generatio, Adæ ſoli adhuc creato, ac cæteris ſimul animantibus terræ communi præcepit mandato, vt creſcerent, & multiplicarent, vt ex eo intelligeremus, quod homo ex ſemine ſuo euecto in vtero ſuæ nil vlterius præſtat proli, quam ipſammet carnis plaſmationem *Sap. d. c. 7. n. 2.* cætera quemadmodum præſtant animantia terræ, quodq; noſtra, quantum in nobis eſt, ab eorum non diſtat generatio, niſi in ipſa qualitate carnis ob ipſam ſpeciei diuerſitatem, quæ eam facit eſſe diuerſam, quæ etiam in cæteris contingit animantium ſpeciebus *Apoſt. p. ad Cor. c. 15. n. 39.* cæterum quod intellectiui ſpiritus noſtri creatio, & infuſio, quæ in illo fit ſic, vt ſupra, formato plaſmate carnis, omnimodum non humanum, ſed diuinum ſit opus, ne in laqueum incideremus diaboli, nobis voluit manifeſtare Deus. *Sap. c. 15. n. 11. & 16. Eccleſ. c. 12. n. 7.* Nam ab homine hominem, prout eſt, qui abſolutè generari putat, in alterum ex duobus incidat erroribus conſequens eſt, vel quod credat quod homo, qui mortalis eſt, *Apoſt. ad Heb. c. 9. n. 27.* poſſit animam creare immortalem *Sap. c.4. n.14. c.5. n. 14.* vel quod hominis anima ſit reuera mortalis, quorum vtrumq; blaſphemum eſt. Deus propterea, priori vt occurreret errori. *Gen. c.p. n. 26.* præceptioni à ſe homini faciendæ de prole procreanda præmiſit conſilium perſonarum ſanctiſſimæ Triadis in ſemet ipſo dicentium: *faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*, quoniam mentem in hominem infundere omnimodum, vt diximus, non vtiq; creaturæ, ſed diuinitatis eſt opus, exinde humanæ, ac brutorum ſimul ſpeciebus communem de prole procreanda faciens præceptionem dixit: *creſcite, & multiplicamini*, hanc videlicet veſtram medio generationis multiplicare carnem in indiuiduis prolis veſtræ, quoniam hæc eſt ſubminiſtrationis veſtræ pars, in qua vos mihi in natura ſubminiſtros conſtituo, cæterum egomet intellectiuum, creabo ſpiritum, & in humanæ carnis plaſmatibus à vobis ex ſemi-

ſemine veſtro genitis inſuflabo illum, quoniam hoc facere meum eſt opus, meiq; inſpiratio oris, nobis propter ea conſultatæ executionem creationis delineatam *Gen. c.2. n. 7.* ante oculos apponere voluit, noſtri vt diſtinctas compoſiti noſcentes partes, & vnde nobis realiter aduenıant, non ſuperbiremus: ex terræ enim limo nos eſſe cognoſcentes, quid eſt, quod in ſuperbiam erigamur? limi .n. genimina ranę ad Aquilonem forſan ponent ſedem ſuam? vel cinis,& puluis ſuper aſtra Dei exaltabunt ſolium ſuum? propter hoc ſcriptum eſt: quod hominibus non eſt creata ſuperbia *Eccl. c. 10. n.22.* quia puluis, & cinis ſunt, quæ à vento rapta citò eò decidit, vnde ſublata eſt *Gen. c.3. n.19. Iob c.33.n.4. Apoſt. p. ad Cor. c.15. n.47.* Spiritum .n. etſi intellectiuum habeamus, & hæc ſit potior portio noſtra, eo quod per eam homines ſimus, & vt homines operamur, nobis tamen à noſtra non prouenit generatione, ſed à Deo, cuius ille eſt purum donũ,& gratuita oris eius inſpiratio, quem errorem ſi quis euitare velit à præfati non deſiſtens firmitate ſuppoſiti, quod videlicet ab homine, prout eſt, generetur homo,iam infundum is prolapſus ſit atheiſmi conſequens eſt, & huic is facilè applaudebit doctrinæ, quod purus coitus verè ſit naturale hominis matrimonium,quia ſimilem beſtijs ſe iam factum eſſe putare cœpit, cuius ſectæ futuri ſunt etiam illuſores illi, qui in fine ſæculi venturi ſunt *Pet.2. c.2. n.10. Amos c. 6. n. 7.* de quibus *Beatus Iud. ſua vnica n.19.* ſic alloquitur. *Hi ſunt qui ſegregant ſemet ipſos animales ſpiritum non habentes.* In omnibus igitur humanorum corporum plaſmatibus humano ex ſemine conceptis intellectiuus indiſtinctè infunditur ſpiritus ſiuè ex legitimo proueniant matrimonio, ſiue ex quantumuis reprobo, & damnato coitu etiam ex Patre, & Filio, cum quibus nullum poſſe conſtare matrimonium ſcimus, ſiue ex inſcijs, & coactis oriantur, quæ coactiones, & inſcientiæ ipſi contrahendi ſunt exaduerſo cõtrariæ naturæ matrimonij, quia, vt dictum eſt, plaſmatis huiuſmodi generatiua virtus in ipſo eſt conſtituta ſemine humano, ex quo omni formato plaſmati ex promiſſione diuina intellectiuus infunditur ſpiritus, adeo vt potius agentium eſſet inanis euaſura actio, vel illorum ſemen non recepturus vterus, quam quod huiuſmodi diuina ſit defectura promiſſio, quia Deus non eſt, vt homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur. *Gen. d. c. 19. num. 32. & ſeq. vſq; ad fin. cap. & c. 20. num. 18. c.29. num. 31. c.30.*

c.30. num.22. Sap. c.7. n.2. Num. c.23. num.19. Apost. ad Tit. c.p. num.2. d. ad Heb. c. 11. n. 11.

Verum quemadmodum duo si nobis proferrentur simulacra Regis, alterum quidem ab insigni: à rudi alterum effictum sculptore: sicut ex prioris industri, & eleganti constructione illius in arte contemplantes peritiam, ingenij raritatem, industrios, & ornatos delineandi modos multis illum afficeremus laudibus, ipse verò ex recta eius affabrefactione gloriâ magnam consequeretur, ipsius quoniam sunt omnes operâtis operationes, ipsiq; vel laudi, vel vituperationi ascribuntur, prout in eam, in quâ inclinant partem *Eccl. c,9. n.24.* ex alterius sic inelegantι, & rudi constructione eius in arte exaduerso nauseantes imperitiam ex propria illum damnaremus inexculta operatione, ipse verò ex sua vituperationem consequeretur ineruditione, propter hoc tamen nullus in simulacrum illud quamquam ab eo imperitè elaboratum inspueret, aliudue insultum faceret, quia Regis est imago: Sic & non aliter ille, qui ex matrimonio legitimam suscipit prolem, in suis agnoscitur, laudatûr, & honoratur filijs, quoniam secundum iura naturæ, æquamq; & honestam prolis procreandæ illos genuerit rationem. *Prou. c.17. n.6. Eccl. c.3. n.13. c.41. n.10.*

E' contra verò, qui eos sibi secundam puram produxerit animalitatem, in illis inhonoratur, sibiq; & eis maculam imponit. *Sap. c.4. n.6. Eccl. c. 41. n. 10. & 21. Deut. c. 23. n* 2. quia non secundum humanæ iura naturæ, æquam, & bonam illos procreandi sibi comparauerit rationem, eius tamen opus contemnendum non erit, quia Dei regis nostri est imago, purum nec carnalis patris opus, sed verè diuinum, quia caro à mundano genita patre non est homo verè, sed à Deo in illam insufflatus carnem spiritus is est homo verè *Gen. c.6. num. 3. Sap. c. 8. num. 20. c. 15. num. 11. Eccl. c.17. num.p. Psal. 46. num. 8.* Verum aliquis forsan nondum adhuc plenè satisfactus dicere posset, nonne coitus naturalis est actus? si ita: de iure etiam sit naturæ consequens est. Huic respondentes objectioni dicimus, quod non omnis naturæ animalis actus de iure est hominum naturæ, sed actum recta cum ratione agere id iuris est hominum naturæ, quia sicut homo, in natura non est simplex animal, sed animal rationale, illius sic naturæ ius non est actum illum animalem simpliciter exercere, sed illum recta cum ratione agere. Nam si ratio ipsam hominis dirimit substan-

ſtantiam à cæterorum ſubſtantia animantium, cur illius quoque non dirimet ſubſtantiam iuris, quæ ab ipſa pendet hominis ſubſtantia, quia ſi naturale ius hominis, vt dicit Imperator: eſt id, quod cum ipſo humano genere in eſſe ipſa protulit natura, & quod ipſa nos docuit natura, certè quod illa nos docuit, eſt ſuper id, quod cætera animantia docuit *Iob c. 35. n. 11.* noſtrum ergo non idem cum naturali iure cæterorum animantium ſit, conſequens eſt, nam ſi à puro naturali actu naturalia venanda eſſent hominum iura, beſtialiter vtiq; viuere, immo deterius, quam ipſę viuunt beſtiæ, de iure hominum naturæ viuere poſſemus: nonne edere: naturalis eſt actus? carnes tamen edere filiorum, ſicut contra rationem eſt, ſic contra noſtræ eſt iura naturæ: ſcindere: naturalis eſt actus, humanam tamen ſcindere carnem, ſicut contra rationem eſt, ſic noſtræ eſt contra iura naturæ: excitare ignem: naturalis eſt actus, illum tamen in ſegetes, domos, & templa excitare, eſt contra humana, & diuina iura: coire: eſt & ipſe naturæ actus, cum virgine tamen ſtuprum, cum nupta adulterium, cum matre inceſtus, cum moniali] ſacrilegium, cum maſculo crimen nefandum, cum beſtijs beſtialitas, & ſingula hæc qualitate quidem inter ſe ſe eſſe diſtincta ipſa nobis oſtendit ratio, iſta tamen omnia contra humanæ naturæ iura, & impia eſſe ſcelera negabit nullus. Nonne omne ſcelus quantumuis enorme, & flagitioſum naturali aliquo adimpletur actu? alioquin ad actum deduci, & perfici non poſſet, omnia tamen ſcelera contra rationem eſſe, & conſequenter aliena à iure humanæ naturæ eſſe negabit nullus, non enim nos puros animales, ſed homines rationis participes fecit Deus, & nobis oſtendit bona, & mala; aquam & ignē: vitam & mortem ponens conſilium oris noſtri in manu noſtra, vt ad quid eorum manum porrigeremus, id haberemus, quoniam noſtri liberam habemus arbitrij libertatem *Eccl. c. 15. n. 14. vſq; ad 19.* hæc tamen facultas valendi facere mala, non efficit, vt mala facere, ſit de iure humanæ naturæ, quia ratio, quæ eſt huius dictamen iuris, non mala equidem nos facere, ſed euitare docet, ea autem facere poſſę nos habiles reddit bona cum electione, & virtuoſè agere, quia ſi bona faceremus, quia aliter facere non valeremus, quæ nobis gloria? Sed cum potuiſſemus facerę mala, & ea non feciſſemus, ſed bona cum electione, & voluntariè faceremus eſſet nobis æterna gloria, quia Deus non in noſtra poteſtate

ſtate

ſtate poſuit mala, vt operaremur illa, quoniam omne malum, & execramentum erroris odit *Iudith. c. 5. n. 21. Pſal. 5. n. 5. & 7. Prou. c. 15. n. 8. & 9. Eccl. d. c. 15. n. 13.* ſed vt ab ijs voluntariè declinantes virtutis amore operaremur bona, ſic agentes ad illius operaremur ſimilitudinem, ſic autem operantibus æterna eſſet gloria *Pet. p. c. 5. n. 2. Sap. c. 12. n. 19. Eccl. c. 31. n. 10. Pſal. 81. num. 6.*

Dicamus ergo oportet, quod naturale hominũ ius eſt boni communi eorũ naturæ conducentis, maliq; nocentis naturalis cognitio, in cuius vi luminis bona ſic cognita haurimus, malaq; repellimus: cuius pręcepta ſunt: Honeſtè viuere: Alterum non lędere: & ius ſuum vnicuiq; tribuere *l. p. §. Iuris praecepta ff. de iur. nat. gen. & ciuil.* huiuſmodi autem naturæ humanæ præcepta cum non cæteris ſint communia animantibus, confiteamur etiam oportet, quod hominum naturale ius ſit à iure cæterorum animantium omnino diſtinctum & ſeparatum. Huius autem primi præcepti: Honeſtè viuendi forma à Deo homini præſcripta, & aſſignata, ipſum cum fuerit matrimonium à Deo ab exordio creationis inſtitutum *Gen. d. c. 2. n. 23.* hinc apparet, quod ſimplex coitus non eſt humanæ naturæ matrimonium, vt homines quidam ſibimet ipſis confingunt, ſed priuata ſenſibilium, ſeu carnis vtriuſq; ſexus mutua coniugatio, cui ſi præceſſerit matrimonium, tamquam matrimonij actus bona, ſin mala reproba, & damnata erit, vt ex præmiſſis manifeſte patet, ne pluries maiori cũ tædio repetantur.

Non obſtant modo, quæ aduerſus prædicta obijci poſſent de pluralitate vxorum, maxime in ſanctorum illorum perſonis, quales fuere Abraham, Iacob, & alij, pro quorum ſanctimonia vitæ illam Deo nec diſplicuiſſe, malam nec fuiſſe deducimus, ac deducendum eſſe rectè arbitramur. Circa quæ duo ſe nobis conſideranda offerunt: factum, videlicet, quod bonum eſſe aſſerimus, & ipſius facti ratio, propter quam illud bonum fuiſſe iudicamus, quibus præmittendum eſſe duximus, quod operum Dei plurima menti noſtræ abſcondita, ac nos penitus latent, quoniam in ſacra non inueniuntur expreſsa pagina, quorum certam velle à ſe ipſis præſumere ſcientiam temerarium eſset, ac ſcire impoſſibile. *Eccl. c. 16. n. 22. c. 43. n. 36.* eorum verò, quæ ibi expreſsa reperiuntur, certum inuenire poſse rationem, & cauſam, dumodo non ibidem & ipſa expreſsa ſit multò impoſſibilius, quia ſi ſcientiam rationis

huma-

humani non possumus habere facti, eo quia in ipso inclusa maneat ratio agentis intellectu, intra quem penetrare, vel ab eius occultis illam educere non humanum vtiq; sed diuinum est opus, *Iob c.* 28. *n.* 10. propter quod scriptum est: quod solus Deus humani est scrutator cordis *Reg. 3. c.8. n.39. Sap. c. p. n. 6.* sic ab infinitate maioritatis rationis consilium Dei nullo poterit sciri modo *Sap. c.9. n.13. Isa. c.40. n.13. &* 14. Quod ipse sapiens *Eccles. c.* 8. *n.*17. optimè animaduertens ait: *& intellexi: quod omnium operum Dei nullam possit homo inuenire rationem eorum quæ fiunt sub sole, & quanto plus laborauerit ad quærendum, tantò minus inueniet, etiam si dixerit se sapiens nosse, non poterit reperire*, si ergo eorum, quæ fiunt sub sole, & in prospectu nostro sunt, non possumus inuenire rationem, multò minus arcanorum mysteriorum Dei, qualia in testamento veteri plurima extant, quæ velut figuræ, & typi magis reconditorum mysteriorum Altissimi nobis proposita fuere, quorum altam admirans profunditatem ille, qui ad tertium vsq; raptus cœlum arcana audierat verba, quæ loqui homini non licet, ait: *O altitudo diuitiarum sapientiæ Dei, quam incomprahensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius, quis cognouit sensum Dei? aut quis fuit consiliarius eius? Ad Rom. c.* 11. *n.* 33. *&* 34. sic & in casu nostro, nam, etsi in illis sanctis Patribus vxorum pluralitatẽ Deo nec displicuisse, malam nec fuisse rectè propter illorum deducimus sanctimoniam eiusmodi tamen ratio cur ei non displicuerit, cum in sacra expressa non reperiatur pagina, sicut certò sciri non potest, eam sic tamquam certam tradere velle periculosum non modo, sed temerarium esse videtur, nisi ad diuinam confugiamus reuelationem expressam, vel pro expressa habitam, seu habendam. Nam & Abraham ad hoc eum excitante Sara eiecit Agar vxorem suam, & Ismael filium suum sine peccato (vxorem tamen, & filios sine causa eijcere peccatum est) hoc autem ideo fecit, quia verbum Saræ eum adhoc excitantis non humanum, sed diuinum fuit, quia in spiritu Dei prophetauit dicens: Non erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ *Apost. ad Gal. c.4. n.30.* Deus propterea illi eumdem confirmauit sermonem dicens: *Audi vocem eius, quia in Isaac solo tibi vocandum est semen tuum Gen. c.* 21. *n.* 12. propter mysterium, quod in facto illo nobis volebat nostræ demonstrare Deus electionis in filios promissionis, & consequenter in semen Abrahæ, & in fratres Isaac: & reprobationis eorum,

qui secundum carnem vitam ducturi essent, & seruituri mundo. *Gen. d. c. 21. n. 9. 10. 11. & 12. ad Gal. d. c. 4. n. 22. vsq; ad fin. ad Rom. c. 8. n. 8. & 13. ad Heb. c. 11. n. 18. Io. c. 15. n. 19. c. 17. n. 14. & 16.*

Hanc autē nō ex eo adduximus facti speciem, quod omninò putaremus cum casu nostro habere paritatem, sed vt inde deduceremus, quod sancti prophetæ nil, nisi preuia perpetrabāt ordinatione diuina, si plures propterea accepere vxores, id etiam ex diuina dispensatione fecisse dicendum videtur *Ose. c. 3. n. 1. 2. & 3. Reg. 3. c. 20. n. 35. 36. & 37.* ita vt si aliquam in Domino honestam, & piam voluerimus cæteris saluis orthodoxis fidei catholicæ dogmatibus permissionis pluralitatis huius vxorum reddere rationē, necesse sit ex antecedenti supponere necessario, quod id hominibus in illo corrupti sæculi ęuo ex diuina fuerit dispensatione concessum; ne peiora sequerentur mala, sicut in simili legimus de libello repudij *Deu. c. 24. n. 1. 2. 3. & 4.* quod à Moyse Hebræis concessum fuit ob duritiam cordis eorum, ne in concupiscentijs illicitis depereuntes damnarentur, quia populus erat duræ ceruicis, & ad lasciuiam valdè pronus *Deut. c. 31. n. 27. Ier. c. 5. n. 7. & 8.* vt ergo Deus eorum consuleret saluti in illo, sicut & in isto eos dispensasse piè credendum est, licet ex ipsius forma matrimonij aliter ab initio seruatum fuisset, ac seruandum esset *Mat. c. 19. n. 8. Mar. c. 10. n. 5. & 6.* Idq; tantò magis, quia vxoris repudiandæ dispensatio longè maioris est ponderis, & difficilioris dispensationis, quam illa plurium ducendarum vxorum multis respectibus; & primo ratione finis ipsius instituendi matrimonij, qui fuit honestatis conseruandæ, multiplicandæq; prolis, mundumq; habitatoribus replendi gratia, cui sicut aduersarii ipsa creata læditur, & infirmatur natura, sic diuinæ resistitur voluntati, eiusq; excitatur ira. *Gen. c. p. n. 28. c. 38. n. 9. Isa. c. 45. n. 18.* cui fini est magis consultum in plurium superinductione vxorum, quam in iam copulatæ repudio, quia tam repudians, quam repudiata tum quidem ipsius iniuria repudij, tum tædio malè ante acti matrimonij à nouis omnino se posset abstinere coniugijs cum ipsius iactura multiplicandæ prolis, & peccandi periculo, quo inspecto multò melius est, vt dicit *Apost. p. ad Cor. c. 7. n. 10. nubere, quam vri.* Secundo quia in repudio mutuò exaduerso cōtrauenitur consensui de perpetua vitæ conseruanda consuetudine, vnitateq; carnis ab vtroq;

ex coniugatis in ipsa copulatione matrimonij hinc inde præstita Deomet pro vtroq; illam vicissim recipiente, & auctorante, in cuius fractione consensus & vtriusq; fallitur fides, & natura læditur, & Deus, in cuius manu præstita fuit, ab eoq; auctorata grauiter offenditur ipsomet hoc ita *Gen. d. c.2. n.24. & Mat. d. c. 19. n. 6.* attestante dum dixit: *quos ergo Deus coniunxit, homo non separet*, in plurium verò superinductione vxorum nulla fraus præfato naturali fiebat consensui: præstita nec frangebatur fides: visq; nulla ipsi inferebatur naturæ, vel coniugatismet ipsis, vitæ nec consuetudo, nec carnis dissoluebatur vnitas, quia huiusmodi nouæ superinductio coniugis fiebat mutuo consensu non solum de nouo coniugandæ, sed etiam coniugatæ, seu coniugatarum vxorum, immo illis tamquam carnis mariti dominis hoc ab eo exquirentibus, atq; quandoque etiam iubentibus ita, vt illæ omnes simul pro vna tantum haberentur carne, cui tota insolidum viri debebatur caro, & vice versa illarum omnium tamquam vna tota insolidum debebatur viro *Reg.p. c.25. n.43.* quos enim coniungit Deus, in pace, sicut sibi ipsis placet, dimittit illos, quoniam non discensionis, sed pacis est Deus, prout in ipsa, *Gen.* ea manifestè leguntur, *c. 16. n.2. 3. 4. c.29. n. 25. & seq. vsq; ad fin. cap. & signanter n. 30. & 31. & c. 30. ferè per totum Apost. p. ad Cor. c.7. n.15. c.14. n.33.*

Neque obstat quod nullibi in sacris legatur chartis, quod dicta vxorum pluralitas ex diuina fuerit dispensatione permissa, quia vltra, quod non omnia, quæ fecit, & dixit Deus, in scriptis redacta fuerunt *Eccl. d. c.16. n.22. Io. c.20. n.30. & 31. c.21. n. 25. & sua secunda n. 12. & tertia n. 13. & 14.* sed etiam multæ ex dictis sacris scripturis varijs deperditæ fuerunt temporibus inter quas, de hac quæ loquerentur dispensatione, adesse poterant *Paral. p. c.29. nu.29. & 30. & secundo c.9. nu.29. c.12. nu. 25. c.34. nu. 14. 15. 18. & 21. Ios. c.10. nu. 13. Ier. c.26. num. 20. Mach. P. c. p. n. 59. & 60.* nam neq; etiam in sacra expressè cautum inuenitur scriptura, quod Moysi præceperit Deus, vt libellum hoc permitteret dare repudij. *Mat. c.5. n. 32. d. c. 19. n. 7. Mar. c. 10. n. 4.* id licet ex antecedenti supponamus necessario firmiter credentes: quod hoc non permisisset Moyses, nisi hoc prius ab ore Dei recepisset, quippè qui in omni re in domo eius fidelissimus erat, ac benè memor eorum, quæ proprijs scripserat manibus, quod eos

 vide-

videlicet, quos coiunxerat Deus, homo separare non posset *Gen. d.c.2.n.24. Num. c.12. n. 7. & 8.* in hoc ergo ita, sicut & in casu nostro ex suppositis antecedentibus necessarijs pari ambulamus passu: quod ex horũ videlicet sanctimonia, & fidelitate virorum; talia qui egerunt, quod ea non egissent, nisi eis à Deo commissa, & demandata fuissent, vel de eius expressa mente fuisse cognouissent. *Gen. c. 29. n. 25. 26. & 27. Num. c. 36. n. 5. Paral. 2. c. 24. n. 3.* Hæ igitur duæ cum ex suppositis sint rationibus terminandæ quæstiones, melius est eas per honestam, conuenientem, & parem terminare rationem, quam per inconuenientem, inhonestã, & disparem, quia per inconueniens non soluitur, sed augetur, & multiplicatur ipsa quæstionis difficultas, quia vno dato inconueniente plura sequantur consequens est, quoniam scriptum est, quod abyssus abyssum inuocat *Psal 41. n. 8.* per inhonestam verò viam non indagamus, sed blasphemamus veritatis *Pet. 2. c. 2. n. 2.* quia honestè viuere cum nostræ sit primum humanæ naturæ pręceptum à Deo in anima nostra viuentibus impressum literis, sicut illud ignorare nemo potest, sic ignorantiæ prætextu qui præterit illud, ipsam dicetur blasphemare veritatem, quia mentiendo ignorare dicit, quod ignorari non posse manifestum est, cumque duo determinabilia ista essent ab initio ex eadem matrimonij forma prohibita, tractuq; temporis re reperta fuerint esse concessa, seu permissa, sicut alterum fuisse inuenimus diuina dispensatione permissum ne animæ in illicitis degentium concupiscentijs deperirent, alterum sic simili ratione ex eadem diuina fuisse dispensatione permissum credendum est, ne ea, quæ ab initio prohibitionis iungebat paritas, disiungat modo permissionis importuna disparitas, idque tanto magis, quia sicut tempore permissionis hanc inuenimus vxorum pluralitatem ex causa à Deo fuisse restrictam *Deut. c. 17. n. 17.* sic tempore prohibitionis cum permissa reperta fuerit pari fuisse à Deo ratione ex causa permissam dicendum videtur. *Gen. d. c. 2. n. 24. Mat. d. c. 19. n. 5. & 6.* nam velle asserere, quod ex eo permitteretur, quia purus coitus naturale esset matrimonium, & consequenter licitus, hanc esset soluere quæstionem per inconueniens valdè magnum, ac malæ consequentiæ. Ad quid .n. vllo sine temporis interuallo, aliaq; vrgente ratione, ac nulla adhuc alia in rerũ natura existẽte muliere, quam prima matre nostra Heua aliã Deus instituisset matrimonij speciem? (non

frustra

frustra quidem) quia Deus nihil frustra facit *Deut. c. 32. n. 47.* si secundum istud instituisse diceremus, quia primum esset imperfe-ctum, vt superius dictum fuit, blasphemarē[illegible] facta in iudicio Dei sunt cuncta opera eius ab initio, & ab institutione ipsorum di-stinxit partes illorum, & sic ab initio facta, & distincta in semet ipsa erant valde bona, atque perfecta *Eccl. c. 16. n. 26. c. 39. n. 20. Deut. c. 32. n. 4.* Insuper & diuinæ eius maculam imponeremus sapientiæ, qua ordine miro, & exquisita perfectione cuncta in omnes perfecit voluntates eius *Prou. c. 8. n. 30. Psal. 110. n. 2.* si verò diceremus, quod voluerit vtrumq; valere, & licitum esse, ex eo statim falsum apparet, quod *Apost. ad Rom d. c. 7. n. 23. & 25. & c. 8. n. 5. 6. 7. 8. 13.* dicit: quod videlicet, purus carnis actus in nobis, qui mente præditi sumus, peccatum sit, siq; de copula cogitare habenda cum muliere humanæ est deceptio vitæ, & apud Deum iniquitas magna *Iob c. 31. n. 1. 2. & 9.*

Pura copula per consequens non naturale matrimonium, res neq; secundum naturam licita sit, necesse est, præter quam quod ex eo infinita sequerentur absurda, quia si coitus matrimonium esset licitum, & mulier omnis nascitur virgo, aut stuprum non es-set peccatum, aut nulli omnino coire liceret, & consequenter hæc matrimonij species penitus frustratoria, & inutilis redderetur: si verò diceremus, non esse stuprum, quia matrimonium, & tunc in sacris scripturis de stupris inutiliter fieret mentio, quia stuprum nullo posset committi modo, quorum vtrumq; falsum est *Gen. c. 34. n. 27.* Aliud esset, quia cum mulier nulla, nisi per mortem mariti, soluta inueniri possit, consequenter mulieres omnes aut virgines, aut nuptæ essent, quia cum virginibus secuto coitu nuptæ essent, posteriores consequenter cum ijs coeuntes omnes essent adulteri, quod similiter falsum apparet, scriptura tam in nouo, quā, in veteri testamento mentionē faciente de adul-teris, meretricibus, stupratoribus, & incestuosis. *Gen. c. 12. à n. 15. vsq; ad finem cap. c. 20. per totum c. 22. n. 24. c. 26. n. 10. & 11. d. c. 34. n. 31. c. 38. n. 15. 22. & signanter Io. c. 4. n. 17. & 18.* vbi Dominus N. Iesus Christus Samaritanæ dixit: Benè dixisti, quia virum non habeo, quia quinq; viros habuisti, & quem nunc habes, non est vir tuus, eum verò: non adulterum dixit, quia quos habuerat, & tunc habebat non eius fuerant mariti, sed prior stuprator, cæte-ri scortatores erant etsi rursus dicerent, quod huiusmodi mulieres

statim post dictam copulam à dicto matrimonio dimissæ censerentur, & sic ipsæ dicendæ essent in posterum solutæ, & liberæ, & hoc quoque inuenitur esse falsum, quia matrimonium ab institutionis illius exordio semper indissolubile fuit *Sap. c. 14. n. 26.* quemadmodum & ita fuisse actu practico deprehendimus, nam mulier duobus si casualiter nupta fuisset à secundo auferebatur, & priori reddebatur viro, quia matrimonium cum primo ratum, & indissolubile manens, secundum adulterinum reddebat. *Gen. c. 12. n. 17. 18. 19. & 20. c. 20. n. 7. Mat. c. 19. n. 5.*

Coitus præterea si naturale illud, quod hi asserunt, fuisset matrimonium, cum sorore vtiq; vxoris suæ quis coeundo non peccasset quia inter eos matrimonium constare poterat. *Gen. c. 29. n. 23. & 27.* cum ea tamen coire etiam inter gentes graue erat peccatum *Leu. c. 18. n. 18.* & per huiusmodi tandem expresse contradicitur Domini Nostri Iesu Christi verbo affirmantis, quod etiam ab ipso creationis exordio in natura nullum aliud fuerit à Deo institutum matrimonium, quam illud, de quo fit mentio *Gen. dicto c. 2. n. 23. Mat. c. 19. n. 5. 6. 7. & 8. Mar. c. 10. n. 6. 7.* ibi dicentis. *Non sic fuit ab initio &c.* alias multæ ex eo falsæ apparerent scripturæ sacræ, sicut eæ, quæ dicunt, quod ex implemento legis naturæ vniuersa lex Dei adimpletur, ac prophetæ *Apost. ad Rom. c. 2. n. 14. & 15. Mat. c. 7. n. 12. Luc. c. 6. n. 31.* nam si coitus naturaliter esset licitus in adimplemento legis naturæ non adimpleretur lex Dei quæ simplicem prohibet fornicationem *Deut. c. 22. n. 21. Prou. c. 23. n. 27. Eccl. c. 19. n. 3. Ose. c. 4. n. 14. Apost. p. ad Cor. c. 6. n. 18.* qua licita supposita ipsum destrueretur matrimonium, nam sensibili huic corpori nostro coeundi data libertate velut lasciuiens iumentum matrimonij vincula nō modo effugiet, sed & illa disrumpet, Hebræi propterea *Mat. c. 19. n. 10.* Domino nostro eis sanctas exponenti leges matrimonij responderunt: *Si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere*; & hæc libertas est illa, quam illusores illi, qui in fine temporum venturi sunt, in desiderijs carnis luxuriæ pellicientes eos, qui paululum effugiunt, & in errore conuersantur, promittunt, cum ipsi sint serui corruptionis *Pet. 2. c. 2. n. 18. et 19.* & doctrina illa dæmoniorum prohibentium nubere de qua *Apost.* mentionem facit *p. ad Tim. c. 4. n. 2. et 3.* concubendi .n. persuasa libertate eius definiti licentia, & voluptate ab humanæ distrahuntur regula continen-

tinen-

tinentiæ nobis à Deo præscripta ne in morem bestiarum, sed iuste,& sanctè in mysterio fidei nostrã propagaremus speciem, mundæ quæ sunt nuptiæ ab eo *Gen. c.2. n.23.* institutæ, ab his autem, à quibus ad hanc persuasi fuimus libertatem, nubere prohibiti fuisse dicimur, eorum quia persuasione nostræ à mundis nuptijs causa fuere auersionis, & contemptus: huiusmodi verò persuasio doctrina dicitur esse dæmoniorum, quia doctrina omnis, quæ pudica non est, & aduersus veritatem se extollit de sursum non est, sed terrena, animalis, & diabolica. *Iac. c. 3. n.15. et 17. Io. c.8. n. 44.* quod autem non pudica sit, satis manifestè patet, quia primo aduersatur naturæ præcepto, quod ipsummet est honestè viuere, quod in cordibus nostris à Deo viuentibus literis inscriptum fuisse diximus, quod verò aduersus veritatem se extollat quis negabit? si Christus qui mentiri non potest nobis attestatus est: Nullum aliud à Deo ab ipso creationis exordio institutum fuisse matrimonium, quam illud, de quo fit mentio *Gen. d. c.2. n.23.* sic *Mat. d. c. 19. n. 9. et Mar. c. 10. n. 6.* dicens: *Non sic*, vt dicitis, *fuit ab initio*, quia ab ipso creaturæ exordio hominem constituens masculum, & fæminam fecit eos, & dixit: *Propter hoc relinquet homo patrem, et matrem suam, et adhærebit vxori suæ, et erunt duo in carne vna, quos ergo Deus coniunxit homo non separet*, quicumq; ergo ab huiusmodi se subtrahit diuino verbo, ab ipsa se subtrahens veritate eorum extinguatur lucerna, consequens est *Apost. ad Heb. c.10. n.38. et 39. Prou. c.13. n.9.* quia fides cum vna sit omnium credendorum indiuisibilis vnitas, modicum fermenti totam massam corrumpet, sicut in simili nos docet *Apost. ad Gal. c. 5. n.7. 8. et 9.* dicens: *Currebatis benè: quis vos impediuit non obedire veritati? persuasio hæc non est ex eo, qui vocauit vos, modicum enim fermenti totam massam corrumpit*, qua corrupta ad pristinum denuo reuertatur difficillimum erit *Ier. c.13. n.23. Apost. ad Heb. c.4. n.2.* quia, vt superius dictum fuit, cum spiritus,& caro ad inuidiam concupiscant, se seq; mutuò oppugnent, & opprimant *Iac. d. c. 4. n. 5. Apost. ad Gal. c. 5. n. 17.* à quo quis victus fuerit, huius & seruus erit *Pet.2. c.2. n.19.* agendi autem suã seruus non habet libertatem, ea quoniam expoliatus sub illius imperio, à quo victus fuit, subiugatus manet *Io. c.8. n.34.* sub imperio ideo carnis spiritu sua agendi amissa, seu potius à se derelicta, & contempta libertate à suæ velut actu desinente formæ suum quoq; extinctum dici-

dicitur esse formatum *d. l. Iulianus §. si quis ff. ad exhib.* quod autem illud per carnis dicatur extinctum, seu languens prædominium ab Apost. expresse docemur *Ad Rom. c. 6. nu. 16. c. 8. nu. 8. & 13. P. ad Thess. c. 5. n. 19.* dicente: *Cui vos seruos exhibetis ad obediendum eius serui estis, siue carnis ad peccatum, & per peccatum ad mortem: siue spiritus ad Iustitiam, & per Iustitiam ad vitam, spiritum ergo nolite extinguere.* In carne igitur Deo placere non possumus, quia caro legi Dei non est subiecta, esse nec potest, eaque, quæ spiritus sunt, non percipit, nec operatur, percipere, nec operari potest, quoniam ei stulta esse videntur, quia ab eius agendi naturali potentia, quæ concupiscentia est, sunt penitus extranea *Apost. ad Rom. c. 8. n. 5. 6. & 7. P. ad Cor. c. 2. n. 14.* ea verò, quæ spiritus sunt, si à nobis seponamus, in atheismum prolabamur, consequens est. *Prou. c. 19. n. 2. Iud. sua Vnica n. 8. & 10.* Hi enim cum mortalem animam se habere credant, bestijsq; similes se esse putent. *Sap. c. 2. n. 2. Psal. 48. n. 13. & 21.* spem futurorum deserentes spiritum in semet ipsis extinguere dicuntur, non quod in nihilum abierit, sed quia illum non habere putantes, eo non vtuntur *Prou. c. 24. n. 20. Sap. d. c. 2. n. 21. Apost. p. ad Thess. d. c. 5. n. 19.* de ijs propterea verba faciens *B. Iud. vbi supra d. n. 19.* ait: *Hi sunt qui segregant semet ipsos animales spiritum non habentes.* Proprio autem voluntarie à semet ipsis segregato agendi principio, quod est necessarium indagandæ veritatis a Deo nobis assignatum medium, vt per illud ad eam perueniremus, quemadmodum ad eam nos peruenire præcepit, ipsi dicuntur resistere veritati, resistentes autem ad eam perueniant impossibile est, quia necessario eo, per quod quid assequimur, reprobato medio, id etiam reprobatum dicitur, quod per necessarium illud assequeremur medium, non mirū propterea si eorum fiat insanabile malū. *Sap. c. 16. n. 12. Io. secunda sua n. 4. Apost. 2. ad Tim. c. 6. n. 3. & 4. ad Heb. c. 6. n. 4. Ier. c. 13. n. 23.*

Hinc manifestè patet cur in dicta carne Deo non placeamus, quia in propria carne, Deo quæ contraria est, seminantes, de carne corruptionem metamus, consequens est, nam si terra nostra non, nisi tribulos, & spinas germinat, maledicto sit proxima, etiam consequens est *Apost. ad Rom. d. c. 8. n. 5. 6. 7. 8. & 13. ad Gal. c. 6. n. 8. ad Heb. d. c. 6. n. 8.* Huiusmodi autem tribulos, & spinas germinandi, maledictioniq; approximandi causa hæc fuit dæmoniorum doctrina mundas prohibentium nuptias prætextu liciti concubi-

cubi-

cubitus, ad quam omnes qui ingrediuntur (ſicut ſcriptum eſt) non reuertentur, ſemitas nec apprahendent vitæ, ſed extollentur in exemplum maius, & eorum anima tolletur de numero viuentium *Prou. c.* 2. *n.* 19. *c.* 7. *n.* 27. *c.* 9. *n.* 18. *Eccl. c.* 19. *n.* 3. *Exod. c.* 32. *n.* 33. *Apoc. c.* 3. *n.* 5. maiorem propterea iudicauit Deus lapſum mulierum quarumdam otioſarum, ſedentium, & plangentium Adonidem, quam virorum ſeptuaginta de ſenioribus, & principibus Iuda in templo idola omnium reptilium, & abominationũ terræ adorantium, illiſq; adolentium thura, non grauitate quidem culpæ, ſed difficultate reſcipiſcendi ab huiuſmodi inſania. *Ezech. c.* 8. *n.* 10. 11. 13. *&* 14. huiuſmodi autem rectè cognoſcendi, & agendi deprauata forma, recta quomodo quis aget, & iudicabit? carne prædominante, quæ, recta quæ ſunt, non percipit, recta quomodo quis percipiet? non percipiens quomodo operabitur illa, ſi recti agendi operis principium ipſa recti eſt agendi operis præcognitio vera? etſi ſpiritus ſub imperio carnis in illius oppreſſus ſeruitute miſerrimè quieſcit, & languet, quomodo liberè aget, & dominabitur illi? confiteamur ergo oportet, quod doctrina illa panis ſit abſconditus ille, quo veſcentibus dæmoniorum menſæ replentur, ac ipſum inferorum regnum *Prou. c.* 9. *n.* 17. *&* 18. *c.* 7. *n.* 27. *Eccl. c.* 23. *n.* 24. & propter quem factus fuit cataclyſmus, & finis tandem imponetur mundo. *Eccl. c.* 39. *n.* 28. *Amos c.* 6. *n.* 7. *Apoſt.* 2. *ad Theſſ. c.* 2. *n.* 7. nam & illuſores illi, qui præparabunt interitum huic mundo, de eodem comedent pane, nec Antichriſtus erit, niſi ad hanc acceſſerit dæmoniorum menſam *Apoſt.* 2. *ad Tim. c.* 3. *n.* 4. *&* 6. *Pet.* 2. *c.* 2. *n.* 12. 13. *&* 14. *Dan. c.* 11. *n.* 37. Maris ergo, & fœminæ coniunctio, prout pura, & ſimplex eſt copula carnis, purum eſt animale opus, à meroq; deſcendit ſenſitiuorum iure, quia non directè ab humana procedit voluntate, à qua humanæ noſtræ omnes formam recipiunt operationes, ſed à pura carnis appetitione; de qua, noſtræ vti ſubiecta menti nulla in operibus noſtris humanis eſt habenda cura *Apoſt. ad Rom. c.* 13. *n.* 14. ſed noſter eſt conſenſus, qui verum perficit matrimonium, noſtræ velut actus voluntatis à puro proueniens noſtro ſpiritu intellectiuo, noſtro tamquam recto agendi principio, à quo noſtræ omnes præordinantur, & abſoluuntur, præordinandæ, & abſoluendæ ſunt operationes ſecundum rectitudinem finis, & intentionis humanę naturę.

 no-

nostræ, actionum cuius illa dicuntur, & sunt verè indiuisibiles formæ, à quibus tales vel esse vel non esse recipiunt *Eccl. c. 16. n. 15. l. p. §. Iulianus vers. non quasi precario vsum, sed quasi non vsum. ff. de itin. & act. priu. l. Actione §. diximus Vers. propter hoc renunciauit ff. pro soc.* Hominis autem velut agentis recta in contrahendo matrimonio intentio est, vt consensum præstet non in concubitus actum solum, sed in totam matrimonij legem, ei a Deo ab exordio institutionis illius inditam, nam & qui emit, etsi, vt rem emptam consequatur, emat, & id solum præ oculis habeat, ac in mente reuoluat, ad ea tamen omnia, & singula obligatur, quæ ex ipsius veniunt forma, & natura emptionis, licet ore singula particulatim non exprimantur, quia sic actum fuisse intelligitur, qualiter ex gesti actus forma, & natura actum fuisse ipsa ratio, ac legalis exquirit æquitas, ita, & non secus in ipso matrimonio, quod certa cum constet ratione, & lege, quibus caro subiecta non est, esse nec potest *Apost. ad Rom. d. c. 8. n. 7.* cæteris propter hoc animantibus commune esse non potest, quia ratione carent, & legibus subiecta non sunt, esse nec possunt: sicut autem matrimoniũ, eò quòd ratione, & lege constet, brutis non competit, competere nec potest, venereus sic vsus, qui ratione, & lege nobis à Deo pręscriptis, non constat, quatenus hominibus non competit, competere nec potest, nam licet consociam in hypostasi vna nobis adiunxerit carnem, hoc ideo tamen non fecit, ei vt suas præstaremus appetitiones, & concupiscentias, sed vt per illius adiacentiam, eo quod opposita iuxta se posita elucescant magis, eius cuncta cognoscentes opera esse mala, ab ijs abstineremus, vt cum potuissemus mala facere, & non fecissemus, esset æterna nobis gloria *Eccl. dd. c. 17. num. 30. c. 18. num. 31. c. 31. num. 10. Apost. ad Rom. c. 6. num. 27. c. 8. num. 6. 7. 8. & 13. 2. ad Cor. c. 12. num. 7. ad Colos. c. p. num. 21. p. ad Teß. c. 4. num. 4. & 7. ad Gal. c. 5. nu. 17. 19. 20. & 21.*

Honorabile propterea humanum dicitur esse connubium, & thorus eius immaculatus: honorabile quoniam medium, quo eo vtimur, ipsum quod est matrimonium, quod norma est honestatis conseruandæ, legitimæq; procreandæ prolis à Deo sub ineffabili mysterio nostræ ab initio præscripta humanitati, vt in omnibus prout decens erat, nostra à brutis distincta esset humana species *Apost. ad Heb. c. 13. n. 4. p. ad Teß. c. 4. n. 4.*

Dicamus igitur: quod matrimonium viri, & mulieris est coniugatio mutuo inter eos contracta consensu, quo alter alterius diuina sectatus auctoritate fidem in inuicem indissolubili societatis remanent colligati nexu, & perpetua subiugati consuetudine vitæ, legitimæq; procreandæ prolis forma à Deo ab exordio creatæ naturæ sub arcano fidei instituta mysterio, vt non in brutorum morem, sed iuxta nostræ formalitatis naturam sanctè, & honestè viuentes in verbo illius ex vtriusq; semine in vna carne seminato nostra in gloriam illius propagaretur species. Ex quibus manifestissimè patet, quod hæc perennis est, esseq; debet matrimonij lex: Mutuus, videlicet, coniugatorum consensus: carnis illorum vnitas: vitæ consuetudinis indissolubilitas: & præstitæ fidei integritas ex ipsius diuinæ institutionis decreto *Gen. d.c.2. n.23. & 24. à D. N. Iesu Christo. Mat. c.19. n.4. & seq. sic declarato: Non legistis, quia, qui fecit hominem masculum, et fœminam fecit eos? et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem, et matrem suam, et adhærebit vxori suæ, et erunt duo in carne vna, itaq; iam non duo, sed vna tantum est caro, quos ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Coniugati .n. in virtute, veritate, & fide ipsius Dei in huiusmodi constringuntur indissolubilem matrimonij nexum secundum eam formam, qua ab ipso conditæ naturæ exordio non ab hominibus quidem, vel à naturata natura, sed ab ipso naturante Deo sub certis, ac proprijs fuit conditum, & ordinatum legibus perpetuis & indissolubilibus *Apost. ad Rom. c. 7. nu. 2. p. ad Cor. c. 7. nu. 39. ad Eph. c.5. nu.28. 29. 31. Sap. c.14. nu.26.*

In virtute quidem Dei, quoniam ex duobus facere vnum solius est diuinæ potentiæ, & virtutis opus: coniugati .n. etsi duo sint, vna tantum tamen efficiuntur caro, vnum tamquam totius generationis principium: quod contemplans, & admirans Adam in Spiritu Sancto Dei dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea;* quæ verba, etsi referri videantur ad carnalem fabricationem Heuæ quasi de Adæ ossibus genitæ, huiusmodi tamen fabricatio cum ipsius fuerit typus, & figura matrimonij vno, & eodem tempore creati potius ad figuratum, quam ad ipsam referatur figuram postulat ratio, & ipsa sensus integritas, quia generatio propriè ab vnitate ad pluralitatem transfertur, matrimonium verò è conuerso à pluralitate rursus ad vnitatem reuertitur, qui actus sunt in inuicem conuersi. Nam quando Deus de costa Adę

fabricauit Heuam, ex vna ipsius Adæ carne facti sunt duo, Adam videlicet, & Heua, in matrimonio verò ex duobus rursus facti sunt vnum, propterea post matrimonium ambos vno nomine, Adam, vocauit eos. *Gen. c. 5. n. 2.* quod autem ita se habeat idem declarat D.N.I. Christus vbi supra dicens: *itaq; non iam, idest, non amplius duo sed vna tantum sunt caro*, quia concorporales iam euaserant *Apost. ad Eph. c. 5. n. 28. 29.*

In veritate autem: quia mutuo coniugatorum solemnizata consensu, & fœderis vnitate, in veritate quoque eorum colligatæ vicissim in perpetuum mansere voluntates ita, vt mulier non amplius corporis sui potestatem habuerit, sed vir, nec vir sui, sed mulier. *Apost. p. ad Cor. c. 7. n. 4. & 39. ad Rom. c. 7. n. 2.*

In fide verò: quia omnia hæc in ipsius conspectu celebrata Dei in eius quoq; auctorata mansere fide, quam coniugatorum vterq; secutus fuit, ac fuisse dicitur, dum Heuam adducens, & consignans in vxorem Adæ, & Heuæ Adam in virum matrimonio inuicem se copularunt, quam reliqui post eos secuti sunt, ac sequuntur omnes, qui matrimonio se iunxerunt, ac in futurum se iungent, à qua recedere nefarium, & infidele crimen est, ob humanæ non solum, sed & diuinæ fracturam pactionis, & fidei, quam, ab ea qui recedunt, frangunt, & fallunt verè. *Eccl. c. 23. n. 32. et 33. Prou. c. 2. n. 28.* quia, vt dicit *Malach. c. 2. n. 14. et 15. Deus testificatus est inter te, et vxorum pubertatis tuæ* (ob ipsius, vt dictum est, Dei in singulo assistentis matrimonio, & alterius pro altero recipientis, testificantis, & auctorantis mutuam coniugatorum promissionem, & fidem in eius propria fide, & pollicitatione diuina) *quam tu despexisti, & hæc particeps tua, & vxor fœderis tui*, ob mutuum matrimonialis seruandæ legis consensum iuxta formam illi à Deo inditam; in quam vnanimiter concurrentes alter alterius diuina est factus auctoritate particeps eorum vita durante. *Mat. d. c. 19. n. 6. Mar. c. 10. n. 9. Apost. p. ad Cor. c. 7. n. 10. & 11. & d. Sap. c. 14. n. 26.*

Huiusmodi igitur perennis est, & constans origo, status, & forma matrimonij, licet ad duritiam cordis ipsorum coniugatorū ab eius quandoq; fuerit lege recessum diuina permissione, peiora ne sequerentur mala: *Mat. d. c. 19. n. 8. Mar. c. 10. n. 4. & seq. Luc. c. 16. n. 18. & seq. Apost. ad Rom. d. c. 7. n. 10. & seq. & c. gaudemus §. nec vlli de diuor.* Coniugati autem sub huiusmodi naturali

nexu.

 115

nexu matrimonij donec veniret fides, in eadem conclusi custodiebantur fide, quæ reuelanda erat per D. N. Iesum Christum, at vbi venit fides, non amplius sub naturali, sed sub sacramentali nexu matrimonij perpetuò viuunt, ac viuere debent. *Apost. ad Gal. c. 3. n. 23. & 25. & p. ad Cor. c. 2. 3. & 4.* Nam si Domino Iesu Christo adueniente Saluatore nostro omnia, quæ in cœlo, quæ in terra per ipsum instauranda erant *Apost. ad Eph. c. p. n.* 10. iam instaurata, non sint amplius ea, quæ fuerant, sed quæ ad præsens secundum nouam, qua sunt instaurata, formam, consequens est argumento *dicta l. Iulianus §. si quis ff. ad exhib.*

Inter fideles ergo non amplius, quod sub natura, vel lege dabatur, dari poterit, sed quod sub gratia est sacramentale matrimonium, quoniam non amplius sub lege, sed sub gratia sumus *Apost. ad Rom. c. 6. n. 14. & 15. Mat. c. 11. n. 13.*

Quamobrem sicut circuncisio per superuenientiam baptismatis in ipso absorpta cessauit, sic per superuenientiam matrimonij sacramentalis illud, quod ab initio fuit, in hoc sacramentali absorptum, quod olim fuit, non est amplius, neq; nisi sub sacramentali forma, illius tamquam materia, potest inueniri amplius, quia, vt dictum fuit, mutata forma rei quoq; dicitur perempta substantia, ideo, quod fuit, non est amplius, quoniam vetus illud penitus abijsse censendum est, etsi non penitus abijsse contendas, illud tamen effectum fuisse sacramentum negare non poteris per nouæ superuenientiam sacramentalis formæ, per quam nouum accipiens esse non erit naturæ fœdus, sed nouæ legis sacramentum, ex quo sequitur, quod sicut fideli circumcidenti se, ita & matrimoniũ illud, quod sub lege dabatur, ex proposito exercenti nil prodesset Christus, quoniam, vt dictum est, non amplius sub lege, sed sub gratia sumus *Apost. Vbi supra ad Gal. d. c. 3. n. 2. & 4. ad Rom. d. c. 6. n. 14. & 15.* Nam à sacramentali se se subtrahentes, legale vt contrahant matrimonium, ab Euangelico, quod est gratiæ, sese subtrahentes iugo, legi denuò vt seruiant, à gratia excidant, eisq; Christus, nostra qui est gratia, nil prosit, consequens est, ab ea .n. se se subtrahentes subtractionis efficiuntur filij, eò quod ex ijs, quę fidei sunt viuere recusent, de quibus sic loquitur Dominus dicens: Iusti mei ex fide viuunt, si autem subtraxerint se (dicamus ab ijs, quæ fidei sunt) animæ meæ non placebunt. *Apost. ad Heb. c. 10. n. 36.* quoniam, quod ex fide nõ est, fideli peccatum est. *Idem*

ad

ad Rom. c. 14. *n.* 23. Ideo si matrimoniū in Ecclesia Dei ex fide fatemur esse sacramentum, eo fideles coniugandi vtantur oportet, etsi re eo non velint vti, sed ad aliud, quod ex fide non sit, se transferant, peccent, & à gratia excidant, consequens est: nam gratiæ pro lege, nouo pro veteri cedentes testamento, non ex lege quidem, quoniam ex lege iustificatur nemo, neq; ex gratia, quoniam sic reprobarunt illam, neq; ex veteri testamento, quoniam iam antiquatum est, neq; ex nouo, illi quoniam cesserunt, gratiam, vel hæreditatem habeant, manifestum esse videtur *Apost. ad Rom. c.* 11. *n.*6. *&* 7. *ad Gal. d. c.*3. *n.*11. *c.*5. *n.*4. *ad Heb. c.*8. *n.*8. *&* 13.

Si præterea Ecclesia vnum est corpus vno spiritu constans *Apost. ad Eph. c.*4. *n.*4. *&* 5. *Act. Apost. c.*4. *n.*32. *&* 33. quod sumus nos, qui omnes in Christo vnū sumus Ecclesiæ corpus *Apost. p. ad Cor. c.* 12. *n.* 12. 13. *&* 27. *ad Gal. d. c.* 3. *n.* 28. *ad Colos. c. p. n.* 24. Singuli autem inter nos huius sumus membra corporis. *Idem ad Eph. d. c.*4. *n.*12. 15. *&* 16. *& c.*5. *n.* 30. quemadmodum in toto Ecclesiæ corpore nullum, nisi sacramentale datur matrimonium, sic in nullo membrorum illius dari posse fatendum est, quoniam, quod non est in toto, in totius etiam nulla potest esse corporis parte, quia ex singulis suis totum constituitur partibus *Apost. p. ad Cor. c.*12. *n.*12. *&* 13. *l. in toto ff. de reg. iu.*

Etsi os ex ossibus Christi, & caro de carne eius effecti sumus. *Apost. ad Eph. d. c.*5. *n.*30. quomodo ab eius corporis, & sanguinis participatione, cuius in nos virtus, & gratia per sacramenta illius tamquam apposita communicationis media impertitur, illa ex proposito recusantes nosmet subtrahere poterimus, legi, à qua non est gratia, denuo, vt seruiamus? *Idem ad Gal. d. c.*3. *n.*21. Etsi in ipso noui formam accipientes hominis, vetera transierunt, & noua facta sunt omnia. *Idem ad Cor. c.* 5. *n.* 17. quomodo ab huius recedemus nouitate vitæ, antiquatæ denuo vt seruiamus vetustati. *Ad Rom. d. c.*7. *n.*6.

FINIS.

Vidit D. Iuuentius Tortus Pœnitentiarius, pro Eminentissimo, ac Reuerendissimo D. D. Hieronymo Boncompagno Archiepiscopo Bonon. & Princ.

Ex speciali mandato Reuerendissimi P. Inquisitoris Bononiæ opusculum Perillustris Domini Dominici Tuschi, in quo indagatur num aliquod detur iuris naturalis Matrimonium, & quod, & quale, & an inter Christi fideles vllum aliud quam sacramentale detur, dariuè possit? acuratè per legi, in eoq; tum sanam doctrinam, tum rectè viuendi normas optimè traditas sum admiratus, ac opus typis dignissimum reor.

Fr. Honorius ab Assumptione Phylosoph. Lector in Collegio FF. Carmelit. Discalceatorum Bon.

Imprimatur.

Fr. Paulus Hieronymus de Garexio Sacræ Theologiæ Magist. & Vicar. Gener. S. Offic. Bonon.

Huius tertiæ Quæstionis.

Notabiliora Errata.	*Correcta.*
Pag. 5. lin.21. debet	debetur
Pag. 6. lin.12. singularissime	singularissima
Pag. 6. lin.30. adorata	odorata
Pag. 8. lin.37. fuit	facit
Pag.16. lin. 1. processiue	processiui
Pag.20. lin. 2. qooq;	quoq;
Pag.23. lin.34. herbes	herbas
Pag.35. lin.10. cunsuetudo	consuetudo
Pag.35. lin.27. tettia	tertia
Pag.37. lin.22. diceremas	diceremus
Pag.38. lin.17. iliud	illud
Pag.39. lin.19. relinquent	relinquet
Pag.40. lin.26. portieniant	perueniant